DE

SENECAE RHETORIS USU DICENDI

QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS AHLHEIM

LANGWADENSIS.

DARMSTADINI.

TYPIS EXPRESSIT G. OTTO.

MDCCCLXXXVI.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

De Senecae rhetoris usu dicendi quaestiones instituenti in animo mihi fuit persequi, quae de eadem re ante complures annos conscripsit Sanderus;[1] qui quamquam aliquot genera diligentissime pertractavit, non pauca tamen reliquit, quae qui perquireret operae pretium facturus mihi videbatur. Quibus quaestionibus tractandis id efficere studui, ut ad utilissimum illum Draegeri librum, qui inscribitur *„Historische Syntax der lateinischen Sprache"*, perficiendum aliquantulum conferrem. Quo in libro vir ille doctissimus ut de multorum scriptorum genere dicendi summa diligentia inquisivit, ita non paucos prorsus fere neglexit. Quo in numero est Seneca rhetor. At enimvero considerantibus, quantum rhetores valuerint ad linguam Latinam excolendam, Senecae libri, quibus multa multorum rhetorum dicta servata sint, praeter alios digni nobis videantur oportet, in quibus aliquis studium atque operam suam collocet.

Sed altera quoque movit me causa, ut hanc disputationem instituerem. Perfacile enim, nisi usus dicendi scriptoris accuratissime exploratus est, libris eius quaedam immisceri, quae ab eius sermone prorsus abhorreant, nemo erit, qui neget. Quod periculum eo maius est, quo magis scripta eius sive temporum iniuria sive hominum aut neglegentia aut inscitia depravata sunt. Quod incredibilem in modum factum est Senecae. Itaque quam hic observaverit dicendi consuetudinem accuratissime explorari necesse est, ut ratio critica certo solidoque fundamento nitatur. Quod

[1] Sander, Der Sprachgebrauch des Rhetors Annaeus Seneca; Jahresbericht des städt. Gymnasiums zu Waren, II. 1880.

si hoc libello ad vulnera illa sananda me quoque quantulumcunque attulisse iudicaveris, gaudere me profitebor.

Sed ut ad id quod nobis propositum est aggrediamur, in distribuenda materia Draegeri rationem sequendam mihi esse censui. Ita autem rem institui, ut, quae, cum non recederent a dicendi usu auctorum optimae Latinitatis, minoris momenti esse viderentur, etsi non prorsus omitterem, tamen, ne taedium legentibus afferrem, quam paucissimis verbis absolverem. Contra quae inveni Senecae propria, quanta potui diligentia adnotavi.

Iam igitur initium capiamus a genetivo tractando.

I. De genetivo.

De genetivo partitivo. (Draeger § 199.) Nec mille nec alia numeralia apud Senecam cum genetivo partitivo coniunguntur.

Saepissime autem genetivi partitivi pendent ex nominibus, quibus copiae aut multitudinis notio inest, sive sunt substantiva sive adiectiva aut neutra pronominum pro substantivis usurpata. Ex cuius generis exemplis, quoniam apud omnes scriptores Latinos permulta sunt, unum afferam:

15 16 [1]*nihil refert, quantas gentes in orbem nostrum Oriens effuderit, quantum nationum secum Xerses trahat.*

„*Quantum nationum*" hoc loco est pro *quot nationes.* Cuius loquendi generis exempla apud scriptores optimorum temporum vix reperies. Sed optime convenit huic loco Plautinus apud Draegerum enumeratus, qui est *Poenul. III 3, 5 sed quid huc tantum hominum* (= *tot homines*) *incedunt?*

Hic fortasse quis miretur Senecae usum dicendi convenire cum Plauti. Quod saepius factum est. Exempli causa profero illud: „*aequum est, ut*", quod Sanderus[2] Arellii Fusci proprium esse dicit. Errat autem Draegerus, qui l. c. II p. 267, postquam duos locos Plautinos attulit, qui-

---

[1] Numeri significant paginas et versus editionis Kiesslingianae.

[2] Sander, quaestiones in Senecam rhetorem syntacticae, Gryphiswaldiae, 1872, p. 5.

bus *aequum est* cum *ut* coniungitur, dicit: *dann erst wieder bei Gellius.*

Tum etiam post comparativos et superlativos genetivi partitivi usus frequens est: e. g. 37 15 *maximum beneficium tuorum*, 243 15 *explicationes plus sensuum quam verborum habentes,* 482 19 *omnium quas ego novi res invidiosissima.*

Adverbia cum gen. part. coniuncta inveniuntur: *satis* et *parum.*

6 20 *satis gloriae,* 63 19 *parum virium.*

Accedunt adverbia loci, ex quibus pendeant genetivi partitivi „*rerum*“ et „*terrarum*“:

1 9 *usquam rerum,* 158 21 *ubique terrarum,* 297 23 *nescio quo terrarum.*

Quod genus dicendi uno loco vi temporali Seneca adhibuit:

242 26 *adeo nusquam rerum ullam materiam dicendi nisi in periculis suis habuit.*

Etiam huius usus exempla, quae quidem Draegerus I p. 449 affert, omnia ex Plauto petivit.

Denique genet. part. ex *eo* pendentem (e. g. eo insaniae venerunt) qua ratione evitaverit Seneca, a Sandero discas quaest. synt. p. 9.

Nominativus adiectivorum pro gen. part. multis locis positus est: e. g. 81 7 *ne quid parum sanctum occurrat;* 84 1 *nihil deferam ad vos dubium;* 113 13 *nihil in illa deprehendi poterat piraticum;* 293 22 *nihil occultum, nihil insperatum afferentes.*

Quod genus dicendi semper usurpatum est, si adiectiva declinationis tertiae sunt. Neque magis gen. part. invenitur, si adiectiva declinationis II cum adiectivis declinationis III coniuncta sunt: e. g. 3 22 *nihil salutare, nihil notum,* 48 12 *pingue quiddam sonantes atque peregrinum.* — Quod exemplum, quia ex oratione Ciceronis pro Archia habita fluxit, minus valet; sed Senecae est 150 20 *nihil acre, nihil solidum, nihil horridum.*

Rarissime etiam adiectiva generis neutrius et ea, quae sunt loco substantivorum, cum gen. part. coniuncta sunt. Neque enim ullum exemplum praeter ea, quae iam supra

attulimus *tantum, quantum, pusillum,* aliud inveni nisi hoc: 92 26 *inepta loci,* quae verba non sunt Senecae sed Ovidii.

Adiectiva pluralia generis masculini substantivorum loco usurpata cum gen. part. non coniunguntur.

Neque magis aut apud nomina propria aut ex pronomine relativo pendens gen. part. apud Senecam invenitur.

Unus cum gen. part. coniunctum est 102 1, ubi est pro *solus*:

hic unus omnium adulescentis filii vicarius. Qua notione rarissime videtur esse adhibitum. Nam apud Draegerum quidem nullum inveni huius usus exemplum nisi unum ex Livio petitum.

Appositio pro gen. part. non adhibetur.

Praepositionum autem pro gen. part. usus frequentissimus est, maximeque post pronomina numeralia. Quarum creberrima est **ex**:

e. g. 18 27 *singuli ex eis;* 38 15 *si cui ex triumviris;* 101 4 *solus ex omnibus maritis*; 124 27 *aliquem ex suis*; 305 24 *neuter ex filiis suis;* 431 20 *unum ex tribus posco.*

Deinde etiam *inter* compluribus locis occurrit:

15 14 *erimus inter fortes fugacissimi, inter fugaces tardissimi.* 17 22 *venustissimus inter rhetores scurra.* 116 12 *inter duas orbas ea mihi curanda est magis, quam orbam ego feci.* 156 18 *Croesus, inter reges opulentissimus.*

Denique etiam praepositionem *de* ita usurpari putat Kiesslingius, cum 38 13 scripserit: *solus de declamatoribus;* ubi in optimis quidem codicibus praepositio deest, in B^2 et T^b autem est *ex.* Quod num iure fecerit, equidem dubito. Neque enim ullo alio loco Seneca praepositione *de* ita usus est; saepissime autem invenitur: *solus ex.* Quod cum ita sit, Müllero[1] assentior *solus e* scribenti.

De genetivo qualitatis. (Draeger § 200.)

In una quaque fere librorum Senecae pagina complures huius generis genetivi exstant, aut attributive ad substan-

---

[1] H. J. Müller, symbolae ad emendandos scriptores Latinos; particula tertia; Progr. des Luisenstädt. Gymnasiums. Berlin 1885.

tiva appositi aut cum verbo **esse** coniuncti. Quos, cum nihil differant a solita dicendi consuetudine, enumerare opus non est. Sed haud ab re esse èxistimo, hoc loco commemorare Ellendtium et Seyffertum errasse, quod gramm. lat. § 144 adn. 3 dicunt ad corpus partesque eius describenda semper ablativum usurpari. Nam cum apud alios scriptores, tum apud Senecam etiam genetivus qualitatis ita invenitur, e. g. 332 22 *rhetor pusillae staturae.*

Genetivus qualitatis sine attributo positus apud Senecam non invenitur.

Sed substantivum, ex quo genet. qual. pendet, deesse potest; cuius generis exempla apud Ciceronem non invenies. Senecae autem haec sunt:

19 16 *qui eodem tempore viguit, quo Lesbocles, magni nominis et nomini respondentis ingenii;* 38 20 *mori tibi necesse est, ut liber et inlibatae dignitatis consummes vitam*; 61 12 *omnes magni nominis videor audisse*; 398 8 .. *quam dixit prior Adaeus rhetor, ex Asianis non proiecti nominis.*

Genetivum et ablativum qualitatis coniunctos non inveniri apud Senecam, nemo mirabitur cum propterea quod hic dicendi usus apud omnes scriptores Latinos rarissimus est, tum quod apud Senecam abl. qual. omnino perpaucis locis invenitur. Sed de hac re plura dicam, cum ad abl. qual. venero.

De genetivo pretii. (Draeger § 201).

De gen. pret., quippe qui omnibus temporibus eodem modo adhibitus sit, multa verba facere opus non est. Dicendum autem est de formula „*tanti est*“. Cuius locutionis Draegerus Madvigium secutus tres notiones esse dicit, quorum generum exempla apud Senecam inveniuntur omnium. Quae eodem ordine usus quo *Madvig, lat. Sprachlehre,* § 294, Anm. 3, hoc modo dispono:

1) 52 2 *non est tanti servari Ciceronem ut servatum Antonio debeam.*

2) 7 21 *ut posset perveniri, tanti tamen non esse;* 327 13 *cum abdicarer aiebam: nihil est tanti.*

3) 37 23 *etiamsi impetrare vitam ab Antonio potes, non est tanti rogare*; 117 16 *non est tanti detrahere illi commen-*

dationem soluti adulescentis; 158$_{7}$ *an ut... tecta auro fulgeant, parricidium tanti fuit?*

Quod autem attinet ad verba „*interest*“ et „*refert*“, quantum intersit, nusquam genetivo exprimitur apud Senecam, sed semper neutro adiectivi:

e. g. 327$_{22}$ *non multum interest mea*, 363$_{10}$ *nihil interest tua confiteri*, 364$_{8}$ *nihil refert*, 422$_{15}$ *non multum refert mea ubi sit.*

Quibus ex locis perspicuum est, apud Senecam eum cuius interest, semper post verbum appellari. Suo igitur iure Kiesslingius Vahlenum secutus locum 415$_{24}$ in libris manuscriptis mutilatum hoc modo restituit: *nihil inquit* ⟨*refert*⟩ *mea.*

Verborum aestimandi cum genetivo pretii coniunctorum apud Senecam haec inveniuntur exempla:

„*aestimare*“: 16$_{4}$; 33$_{4}$; 154$_{5}$; 359$_{9}$; passim;
„*putare*“: 155$_{17}$; 202$_{8}$; passim;
„*facere*“: 115$_{21}$;
„*redīmere*“ 396$_{5}$;
„*vendo*“ et „*emo*“: 50$_{26}$.

Accedit 68$_{7}$ *pluris tibi frater efferendus quam alendus est.*

Aestimare et *verba emendi* etiam cum ablativo pretii coniungi posse postea demonstrabo, cum de ablativo pretii dicam.

Genetivi appositionalis (Draeger § 202, 1.) haec exstant exempla:

6$_{1}$ *dotis nomine imperare se illis mille talenta;* 104$_{19}$ *utrimque filii nomen audio*; 201$_{22}$ *Vipsani nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat*; 444$_{18}$ *tolle matris nomen*; 482$_{7}$ *nolui videri per collusionem patri titulum fortissimi viri obtigisse.*

Sed nominativum quoque poni posse pro eiusmodi genetivo manifestum est ex hoc loco:

428$_{23}$ *nec est, quod quemquam vestrum decipiat nomen ipsum lautumiae.*

De genetivo epexegetico. (Draeger 202, 2). Huius genetivi exempla rara sunt. Ac primum quidem commemoro: 76$_{5}$ *colorem introduxit religionis.*

Luculentissimum vero exemplum hoc est: 338 11 *duo (sc. crimina) obicere, adulterii et caedis.*

De genetivo obiectivo. (Draeger § 203.)

Cuius generis exempla aliqua ex parte minus solita haec commemoro: 88 3 *omnium turpium et obscenarum rerum abstinentiam*; 129 18 *scholae successor*; 137 12 *negabat patri abscindendam spem filii in perpetuum*; 165 20 *abstinentiam comitiorum*; 328 6 *decem mensum alimenta*; 331 20 *Calvus qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae (= in eloquentia) habuit*; 468 23 *in inquisitione paternae mortis*; 471 8 *in hac indignatione praesentis periculi,* 507 22 et 24 *opinio Atheniensium (= de Atheniensibus).*

Genetivi subiectivi pronominum personalium pro possessivis positi (Draeger § 204) apud Senecam non exstare videntur.

De genetivis qui pendent ex aliis genetivis. (Draeger § 205.) Quo in genere, quamquam exempla rara sunt apud Senecam, tamen videmus eum secutum non esse usum dicendi Ciceronis, secundum quem, si gen. subi. et obi. coniuncti sunt, genetivus subiectivus semper priorem locum obtinet. Exempla autem haec invenimus:

15 3 *o grave maiorum virtutis dedecus.* Ubi secundum Ciceronis et Caesaris usum loquendi dicendum fuit: *o grave virtutis maiorum dedecus.*

471 5 *si quis omnium mortalium miserrimi inter necessarias super occisum patrem lacrimas ita creditam adhuc inertiam miseratus est.*

Hoc quoque loco Seneca recessit ab illa Ciceronis et Caesaris ratione, secundum quam dicendum est: *miserrimi omnium mortalium.*

Adiectiva relativa c. gen. coniuncta. (Dr. § 206.) Draegeri distribuendi rationem secutus primo loco commemoro:

„*cupidus*“: 136 3, 136 28, 477 3.

„*avidus*“ 152 8; 478 20.

„*conscius*“ 440 21; 510 4, 514 26.

„*peritus*“ 60 22.

„*imperitus*“ 508 14.

b) „*compos*“ 45 10.

c) „*consors*“ 73 20.

d) „*plenus*“ 24 12; 26 5; 332 10.

e) De adiectivis, quibus similitudinis notio inest, nonnulla iam dixit Sanderus, Sprachgebrauch II pag. 9 et 10. Longe igitur plurimis locis *similis* cum dativo coniungitur; qui usus apud Senecam adeo pervulgatus est, ut etiam pro „*mei, tui, sui similis*“, quod optimae Latinitatis scriptores dicunt (cf. Draeger p. 445), ille habeat „*mihi, tibi, sibi similis*“.

Neque tamen genetivos semper evitavit. Unum enim locum iam Sander l. c. apposuit, quo *similis* cum genetivo coniunctum est:

15 10 *adhuc non sum ex ulla parte Atheniensium similis.* — Addo alterum: 506 20 *habuit aliquid Promethei simile.*

Hoc loco etiam adiectivum „*aequalis*“ commemoro: 294 19 *sed hoc aequale omnium est, ut . .*

Quod adiectivum cum Draegerus l. c. omnino omiserit, Kuehnerus *Gram. d. lat. Sprache* § 85 *h* unum eius exemplum ex Ciceronis legg. 2, 4 attulit.

f) „*Proprius*“ apud Senecam deest; „*communis*“ autem semper cum dativo coniungitur.

Quae adiectiva Draegerus sub g) h) i) enumerat, apud Senecam cum genetivo coniuncta non occurrunt.

k) „*Dignus*“ semper cum ablativo coniungitur.

Haec sunt adiectiva, quae etiam apud Ciceronem cum genet. coniuncta inveniuntur. Iam transeamus ad recensenda ea, quae a posteriorum temporum scriptoribus, maximeque quae a Seneca primo ita adhibita sunt.

„*incautus*“: 445 27 *incauta futuri immortalitas!*

Cuius usus Draegero ignoti Kuehner l. l. § 85 b auctorem dicit Horatium. Itaque pedestris orationis scriptor qui primus cum adiectivo *incautus* genetivum coniunxit videtur fuisse Seneca.

„*capax*“. 152 3 *ingenium omnium bonarum artium capacissimum.*

Quod adiectivum secundum Draegerum iam apud Vel-

leium ita adhibitum invenitur, a quo ex Ovidio petitum est.

Altera notione (= *fassend*) idem invenitur 302 11 *navigium vix unius capax animae.* Quo in usu Seneca Livium secutus est.

„*suspectus*". 500 8 *qui non potest furti suspectus esse.*

Etiam hoc adiectivo iam Livius uno loco ita usus est. Errat igitur Kühnerus, qui § 85 *i* a Tacito primo *suspectus* cum genetivo coniunctum esse dicit.

„*Insatiabilis*" 134 17 *insatiabilis gloriae.* Quod adiectivum secundum Draegerum primum cum genetivo coniunctum est apud Aurelium Victorem, Caess. 17, 7 *insatiabilis sanguinis*; secundum Kuehnerum autem apud Senecam philosophum cons. ad Polyb. c. 29, *insatiabilis rerum omnium.* Uterque igitur corrigendus est, cum Seneca rhetor prior huius usus auctor sit.

„*dubius*". 11 11 *dubios iudicii sui.* Quod adiectivum iam a Sallustio cum genetivo coniunctum est.

Quae de „*superstes*" dicenda sunt iam dixit Sanderus, Sprachgebrauch II p. 9.

Ex adiectivis in *-ax* hic adnotandum est „*tenax*": 133 3 *tam etiam vitiorum tenaces sumus.*

Quod adiectivum Draegerus et Kuehnerus cum genetivo coniunctum inde a Vergilii et Horatii temporibus increbrescere dicunt apud poetas; interdum etiam inveniri apud posteriores pedestris orationis scriptores. Inter quos iam Senecam esse dubito num eis notum fuerit.

Participia praesentis c. gen. coniuncta. Ex numero eorum, quae Draegerus § 207 composuit, apud Senecam haec inveniuntur:

„*patiens*" 7 20 *patientem navigationis.* Quem usum iam apud Sallustium deprehendimus.

„*neglegens*" 60 13 *expugnatores alienae pudicitiae, neglegentes suae.* Similia etiam apud Ciceronem sunt.

„*Amans*" autem cum accusativo coniunctum est 164 25 *adulescentis patrem amantis.*

Quod fortasse factum est, quia si genetivus „*patris*"

positus esset, quomodo tres isti genetivi inter se coniungendi essent, dubium fuisset. Nam secundum Ciceronis loquendi genus genetivus exspectandus est.

De quibus rebus Draegerus dicit in § 208, earum apud Senecam nihil invenitur.

De genetivo pendente a verbis iudicandi. (Dr. § 209.) Verba iudicandi cum genetivo coniuncta apud Senecam inveniuntur haec:

accusare,
damnare,
agere,
teneri,
reum facere, reum esse.

Quae verba cum eodem modo quo apud ceteros quoque scriptores adhibita sint commemorasse sufficiat. Summi autem momenti est *postulare* cum genetivo coniunctum; quo verbo Seneca primus ita usus est:

97 3 *adversariam incesti postulavi,* 246 19 *ingrati postulavi,* 306 14 *timeo ne quis me parricidii postulet,* 318 10 *si quis volet hodie parricidii me postulare.* Itaque in hac quoque re Draegerus corrigendus est, cum I p. 487 dicat: *„neu ist auch postulare mit dem gen.* (sc. apud Tacitum).

Cum praepositionibus autem haec verba a Seneca rarissime videntur coniuncta esse. Solum enim quod reppererim exemplum est:

318 5 *accusavit illum de moribus.*

Memini et oblivisci. (Draeger. § 210.)

Memini cum gen. coniunctum est uno loco 438 25 *dum matris meminit obliviscetur novercae; at illa dum novercae meminit, matris oblita est.*

„Oblivisci“ 337 1 *obliviscendum mihi erat patris*; 494 16 *lupa oblita feritatis.*

„Admonere“ 354 23 *ut tui admoneret.*

Plerisque autem locis, *memini* cum *accusativo* coniunctum est: e. g. 31 8 *nullam meminit aciem, nisi qua fugerit*; 160 17 *ego certe memini abdicatos.*

Deinde, quod apud Ciceronem quoque solitum est, pro-

nominum generis neutrius semper accusativus, nusquam genetivus, cum verbo *memini* coniunctus est.

e. g. 362 3 *dignior poena erat, si id peccasset, quod meminisse posset.*

Verba affectuum (Draeger § 211) solito more cum genetivo coniunguntur. Inveniuntur autem apud Senecam:

„*pudet*",
„*taedet*",
„*paenitet*",
„*misereri*".

Qua de causa 83 4 *misereor tui* recte emendatum est ex *tibi*.

Ad Draegeri § 212 ex Seneca nihil est addendum.

II. De ablativo.

De ablat. loci. (Dr. § 214). Ablativos nominum urbium, quibus significetur aliquem proficisci ex aliquo loco, apud Senecam non inveniri mirum non est, cum eiusmodi nomina perraro in scriptis eius occurrant. Tamen unum locum hic appono, in quo praepositio addita est. At non Senecae, sed Livii est:

42 8 *ut ab Caieta navem conscensurus proficiscitur.*

Neque magis quo origo significetur ablativus nominum urbium cum substantivo coniunctus apud Senecam invenitur. Neque ablativus nominum terrarum occurrit, de quo Draegerus dicit § 215—216.

Etiam ablativi nominum:

domus, rus, humus (Draeger § 217) rari sunt. Unus tamen locus hic adnotandus est:

491 4 *ut humo se adlevare non possit.* Errat igitur Draegerus ablativum *humo* a Vergilio usurpatum non nisi apud poetas inveniri docens.

Poetae autem et posteriorum temporum scriptores aliorum quoque nominum atque urbium ablativos usurpant, quibus significetur aliquid ex aliquo loco profectum esse. (Draeger § 218). Cuius generis exempla apud Senecam haec sunt:

28 13 *originem caelo trahat,* 36 27 *animus divina origine haustus ad sidera recurret,* 463 24 *caelo repluunt.*

Fortasse etiam 13 3 *imbecilla materia deus nos orsus est* — huc referre licet.

De ablativo qui dicitur separationis. (Draeger § 219). Cum apud optimorum tum apud posteriorum temporum scriptores non pauci ablativi separationis inveniuntur ex verbis pendentes maximeque ex eis quae cum praepositionibus *ab, de, ex* composita sunt. Quorum apud Senecam occurrunt haec:

I. Verba simplicia.

„*Cedere*“ ter cum nudo ablativo coniunctum est: 42 4 *urbe cesserat,* 82 19 *huic praetor via cedet.*

Alia autem est natura tertii loci: 107 27 *quam paene illi optione cessimus.* Hic enim ablativus limitationis intellegendus esse videtur. Sed fortasse etiam hunc ablativum separationis dicere possumus. Optio enim quasi locus sive via est qua alius alii cedit. At dubito an pro *optione* scribendum sit *optionem.*

Cicero aliique ex verbo *cedere* et nudum ablativum et praepositiones *ab, de, ex* pendentes faciunt.

„*Solvere*“: 176 24 *solutos ipsos vinculo religionis,* 351 20 *furtis noxaque solutum,* 351 21 *furtis, noxa solutus est.*

Cum hoc quoque verbo semper fere ablativus praepositione non addita coniungebatur.

„*Liberare*“: 176 25 *dixit iureiurando illam liberatam illo casu,* 363 26 *utinam non hoc illum liberaret metu,* 397 21 *liberavi te summo dedecore.*

Quo cum verbo omnium temporum scriptores crebrius ablativum quam praepositionem coniunxerunt.

Addendum est apud Draegerum ex Seneca verbum „*mutare*“:

13 25 *rerum naturam statione mutavit sua.* Sic enim scribo cum Sandero, qui l. c. II p. 21 de hoc loco disputavit. Etiam Muellerus l. l. codicum verba integra retinuit.

II. Verba composita.

„*Abesse*“ plerumque cum praepositione *ab* coniungitur; sed uno loco cum *ex*; qui usus secundum Draegerum perrarus est: 81 7 *absint ex hoc foro lenones.*

„*Abstinere*“ apud Senecam eodem modo adhibitum est atque apud Ciceronem. Nam si transitive usurpatur,

semper cum praepositione *ab* coniungitur, si intransitive, cum ablativo. Reflexivum autem „*se abstinere*“ et cum praepositione et cum nudo ablativo coniungitur:

a) 85 2 *coram sacerdote obscenis homines abstinent*, 331 12 *itaque verbis quoque horridioribus abstinendum,* 348 2 *non est beneficium scelere abstinere.*

b) 90 12 *praedixi illi, abstineret a sacro corpore manum*, 315 17 *ne a mortuo quidem manus abstinet,* 498 11 *multa a quibus non abstinuerunt nostri manus.*

c) 85 29 *a sacerdote se non abstinuisset pirata*, 404 16 *cuius osculo nemo se abstinuit.*

„*Decedere*“ 67 6 *recta via decedere.*

„*Deicere*“ 96 28 *incesta saxo deiciatur.*

Apud Livium nudus ablativus cum deiciendi verbo non coniungitur nisi translata notio ei insit. Sed Seneca hac lege obstrictus non esse videtur.

Altero autem loco praepositio *de* posita est:

96 9 *ut de saxo deicienda videatur.*

„*Egredi*“ cum accusativo coniunctum secundum Draegerum significat „*ueber eine Grenze hinausgehen*“. At Seneca dicit:

155 10 *egredientem te certe domum, redeuntemque comitabor.* Quem locum cum contra legem illam grammaticam omnibus temporibus observatam faciat, O. Ribbeckius transposito verbo *redeuntem* hoc modo emendavit: *egredientem te redeuntemque domum.* Quod mihi quoque videtur probandum esse.

„*Eicere*“ 131 24 *quid expectas, donec castris eiciaris.* Sed praepositio *de* usurpata est: 345 1 *de cellulast eiecta.*

„*Elabi*“: 44 1 *elapsus interim altera parte villae Cicero lectica per agros ferebatur.*

„*Excidere*“: 65 20 *si quid aut numero aut ordine excidit.*

Quod verbum Draegerus dicit cum abl. coniunctum inveniri apud optimae aetatis poetas et apud posteriores pedestris orationis scriptores, non iam apud Livium. Accuratius igitur Senecam primum hoc verbo ita usum esse ei dicendum fuit.

„*Emittere*“ et cum ablativo coniunctum est ut apud

Caesarem et Lucretium, et cum praepositione *ab* ut apud Livium:

390_{20} *a litore emittitur;*

at 395_{29} *emissus sede sua Miltiades.*

„*Eximere*“ cum dativo rei coniunctum est ut apud Livium:

395_{18} *ego te carceri exemi.*

„*Exprimere*“, quod alibi plerumque cum „*ex*“ aut „*de*“ coniungitur, cum ablativo positum est: 204_{20} *exprimuntur ipsis vitalibus cruores.* — Cuius loquendi usus cum unum exemplum se invenisse dicat Draegerus apud Plinium, iam vides hic quoque primas partes tribuendas esse Senecae.

„*Exsolvere*“: 36_{28} *onerosi corporis vinculis exsolutus.*

„*Interdicere*“ 75_{2} *nulli autem interdici misericordia,* 511_{22} *cum illi Caesar interdixisset domo,* 511_{24} *quasi et ipse illi ingenio suo interdiceret.*

„*Prohibere*“ 112_{26} *prohibeo domo terra prohibendam.*

Praeter haec verba, apud alios quoque scriptores eodem modo atque apud Senecam adhibita, alia in Senecae scriptis inveniuntur, quae huius propria esse videntur. Quo in numero est:

„*confundere*“ 1_{17} *confusa lux alta caligine.*

Deinde „*infundere*“ 3_{14} *toto pelago infusa caligó*; 159_{8} *infusum tectis aurum.* Quo loco dubitari potest, utrum „*tectis*“ ablativus an dativus intellegendus sit. Sanderus quidem l. c. II p. 7 ablativum esse putat propter locum modo commemoratum 3_{14}. Quod mihi quidem non item videtur. Vehementer enim dubito an pro *infundere in aliquam rem* dici non possit *infundere aliqua re.* Optimo autem iure dici *infundere alicui rei* nemo erit qui neget. Quae locutio invenitur apud Vergilium, alios. Quod cum ita sit, equidem et illud *tectis* dativum et 3_{14} pro *toto* *toti* scribendum esse dico.

Etiam 301_{10} *tenebrae offunduntur oculis* — *oculis* certe dativus est. Quod verbum apud Sanderum l. c. p. 8 deest.

Denique apud Draegerum addendum est „*excitare*“, quod exstat: 411_{7} *praetorem nostrum in illa ferali cena saginatum meretricis sinu excitavit securis.*

Natus cum ablativo (Draeger § 220) coniunctum invenitur: 336 6 *quaererem quam sordida domo natus esset;* 340 25 *procuratorene natus;* 342 2 *pater noster honestis parentibus natus;* 467 10 *natus quidem erat patre splendidissimo, avo divi Iulii hospite;* 477 2 *et miratur quisquam, si hoc patre natus gloriae cupidior est.*

Nec minus frequens est praepositio „*ex*“: 113 10 *ex aliqua nata captiva;* 197 5 *exspectabo, donec e meretrice liberos tollas;* 198 1 *quod ex meretrice natus est;* 228 26 *qui communis ex ista liberos precatus sum.*

Ex quibus exemplis cognoscitur originem ex patre ablativo, ex matre praepositione exprimi. Quod convenit ad id, quod docet Ellendtius, gramm. lat. § 175, adn. 1. Sed quod Draegerus dicit praepositionem raro addi ad ablativum a *natus* pendentem, id cum Senecae quidem loquendi usu non convenit.

Procul c. abl. (Draeger § 221) apud Senecam non invenitur.

De ablativo loci. (Draeger § 222).

A) In utendis nominibus urbium Seneca non differt ab usu dicendi optimorum temporum:

e. g. 19 15, 22 24, 69 25, 210 6. Quo in genere prae ceteris nominandus est locus 69 24, ubi legitur: *Carthagini* pro solito *Carthagine.* Quam formam usurpari docet Neuius *Formenlehre I p. 242*, ut significetur aliquem aliquo loco commorari. Sed ne hac quidem notione eam frequentem esse perspicitur ex locis l. l. enumeratis. Quibus addendum esse hunc Annaeanum nescio an illi notum non fuerit.

B. a) „*terra*“ et „*mari*“.

Haec verba inter se coniuncta sunt. 120 2, 225 1, 472 7. „*In mari*“ dictum est 304 4 *cognosce innocentiam meam in mari, quam domi noluisti.*

b) In utendis vocibus „*loco*“ et „*locis*“ magna statuenda est orationis varietas, cum omnibus fere locis, quibus nudus ablativus positus est, etiam praepositio „*in*“ poni potuerit. Ac primum quidem ubi „*loco*“ cum attributo coniunctum est ablativus poni solet:

e. g. 37 26, 44 12, 48 10, 48 24, 65 27, 66 10, 92 23, 94 17,

100 10, 105 13, 113 15, 245 20, 307 1, 318 20, 321 9, 401 2, 404 21, 407 5, 412 7, 507 4, 507 5.

Contra „*in*" positum est:

83 25 quo cum loco velim conferas 94 17, ubi nudus ablativus positus est 83 27, 91 17, 211 21. Cui loco similis est 307 1, ubi praepositio addita non est.

Deinde etiam, si pronomen relativum aut demonstrativum cum „*loco*" attributive coniunctum est, praepositio invenitur, quae apud Sallustium his locis semper poni solet. 87 8 *in eo loco vivere, in quo,* 445 10 *Nicetes egregie dixit in hoc eodem loco,* 317 5 *hunc ipsum inquinat locum, in quo pro Popillio dixerat.*

Tum „*loco*" cum genetivo exstat 18 23 *quasi proverbii loco est.*

Idem sensus etiam alia ratione exprimitur: 316 22 *eodem loco patronum habuit, quo patrem,* 508 1 *Olynthiis hoc tribuistis, ut eodem loco essent, quo Athenienses.*

Tum etiam condicio, in qua est aliquis, hac voce significari potest:

103 5 *an tunc liceat ubi maritus in eo loco est, quasi omnino non esset,* 190 6 *atqui eodem loco est manifestus demens.*

Denique nostrum „*am rechten Orte*" Seneca semel formula „*suo loco*" expressit: 193 22 *quae dixerit, suo loco reddam, cum ad suasorias venero.*

c) Ablativi „*parte*" et „*partibus*" apud Senecam semper cum praepositione coniuncti sunt: e. g. 39 2, 40 8, 40 16, 74 30, 205 26, 311 22, 485 15, 488 28.

d) „*Regione*" deest.

e) Cum ablativis „*via, itinere, itineribus*" praepositio coniuncta non invenitur:

41 27 *si iam recta via consequi non potero,* 359 25 *proditor eadem via veni, qua legati;* similiter 415 19, 468 14, 469 23, 203 24, 302 2.

Similis est etiam locus 108 8 *sol contrario cursu orbem ducat.* Quem locum, quamquam ablativus melius fortasse in numero ablativorum modi habetur, tamen hic apposui, quia etiam ceteri ablativi modo commemorati proprie sunt ablativi modi, cf. Draeger l. l. p. 522.

f) vacat.

g) Si adiectiva „*totus, omnis, universus, medius*“ cum substantivis attributive coniuncta sunt, nudo ablativo locum significari posse multis multorum scriptorum locis comprobatur. Apud Senecam autem praepositio videtur semper omissa esse: 29 14 *erit aliquis orbe toto locus;* 37 4 *furentia toto orbe arma;* 203 24 *toto itinere non ducitur sed trahitur;* 225 2 *plus intra unam viciniam quam ego toto mari quaesivit.*

h) Praeterea complures alii ablativi loci apud Senecam occurrunt. Quorum primus videtur esse: 5 9 *ad Mundam acie victus est.* Sed hoc loco ablativus instrument. aut modi intellegendus est. Postea enim dicitur p. 102 2 *in acie vicit, domi captus est.* Deinde in omnibus codicibus scriptum est: 106 3 *cum pugnantem se acie descripsisset.*

Quo loco Schultingius coniecit: *in acie,* probante Kiesslingio. Quibus ut assentiar a me impetrare non potui, cum et Livius et alii scriptores dicant *acie pugnare.* Neque eo loco, qui est 24 8, Kiesslingius iure offensus est. Ibi enim legimus: 24 8 *quod hoc sacrum est, virginis deae templo virginem occidere.* De quo loco Kiesslingius [1] dicit, ne contrarium tollatur, quod intercedat inter *virginem deam* et *virginem quae occiditur*, genetivum ex *sacrum* pendere necesse esse; deinde praepositionem *in* ante *templo* desiderari. Quae cum ita sint, fortasse scribendum esse *extemplo,* quod interpretatur *ohne weiteres*, *gleich.* Quam coniecturam vix cuiquam probabit. Atque ne ipse quidem sibi constat, cum in editione sua coniecerit: *virgini deae extemplo.* Quod si cui placuerit, habeat sibi; mihi omnis difficultas sublata videtur, si *templo* dativum intellegimus. Etiam Muellerus l. l. p. 16 lectionem traditam retinuit.

Sed ut ad ablat. loci redeamus, exemplum eius habemus 131 12 *quousque duro iacebis castrorum cubiculo.*

Contra 47 8 *in rostris iacuere suis*; 113 2 *captus in tenebris iacebam*; 396 27 *ita tu putas me libentius in cubiculo meo iacuisse.*

---

[1] Neue Beiträge zur Kritik des Rhetor Seneca. Progr. d. Gelehrtenschule, Hamburg 1871.

Neque tamen 131 12 corrigendum esse censeo, quia nudus ablativus cum *iacere* coniunctus etiam apud alios scriptores occurrit e. g. apud Ovidium.

133 11 *toga ipsa umeris non sedet*; 200 9 *moriatur solo paterno*; 221 10 *meretricem vidi pendentem collo senis*; 295 8 *nudis rebus haerere*; 303 17 *utroque patens latere*; 327 7 *soles duabus sellis sedere.* Hoc modo Livium quoque usum esse verbis sedendi dicit Kühnastius, *Liv. Syntax p. 174.* 430 23 *ut vidit me, haesit complexibus meis puer*; 441 12 *venena statim radicibus pestifera sunt*; 464 5 *quicquid ferarum discurrit nostris sepelitur ventribus.*

i) *„Tenere, continere etc.“* aut cum ablativo instrumentali coniuncta sunt e. g. 20 19 *ut novissime morbo huius rei teneretur*; 501 26 *sensum . . quem . . aiebat memoria tenendum*; aut cum praepositione *in:* 509 5 *quod civem in servitute tenuerit.*

k) *„Excipere“* saepius cum ablativo coniunctum est, sed ita, ut plerumque ablativus instrumenti statuendus sit; quod verbum apud alios scriptores rarum esse dicit Draegerus, qui I p. 527 praeter duos locos Livianos nullum attulit. Apud Senecam autem haec sunt exempla, quibus ablat. instrum. intellegendus est: 12 3 *hoc mare . . insidiosis excipitur angustiis.* 112 26 *haec puella hospitio patris excepta est*; 303 27 *excipitur classe praedonum*; 503 20 *hoc hospitio Olynthius Athenis exceptus est.* At ablativus modi est 487 12 *cum illam ipsa natura publicis excepisset malis.*

De ablativo temporis. (Draeger § 223).

In ablativo temporis Seneca fere non differt a more solito, secundum quem substantivorum, quibus temporis notio inest, cum attributo coniunctorum ablativi exprimunt, quo tempore aliquid factum sit. Cuius generis permulta sunt exempla: e. g. 6 9; 32 28; 96 13 etc.

Sed eis nominibus quibus notio diei inest, attributum deesse potest. Quae lex comprobatur his locis: 158 24 *interdiu et nocte*; 366 24 *noctu*; 468 13 *quid nocte fiat.* Huc referendum est etiam 67 13 *Circensibus.*

Neque naturae diversae sunt hi loci: 210 13 *an quaecunque quinquennio non peperit, sterilis est*; 211 26 *si quae*

quinquennio non peperit. Quibus locis, cum in substantivo etiam notio numeralis insit, iusti ablativi temporis statuendi sunt. *Quinquennio* enim idem valet ac si dictum esset *quinque annis.* (cf. Kuehnast l. c. I p. 181.)

Neque magis a solito dicendi usu recedunt ii loci, quibus genetivus attributi vice fungitur 21_{16} ***huius suasoriae occasione.***[1] 348_{29} ***speravit posse fieri, ut, si virginem servasset, nuptiis dominae manumitteretur,*** 408_{9} ***huius anno nullum esse occisum.***

Restat, ut dicam de duobus locis, quibus Seneca contra solitum dicendi usum ablativum temporis sine attributo posuisse videatur. Quorum prior est: 212_{7} *non potest, quia tyrannide non conceperat* (codd. *ceperat*, quod correxit Bursianus); posterior 345_{26} *non vitiavit, inquit, tyrannide* (sic enim AB). Sed ad hunc locum sanandum commode nobis obvenit, quod in codice V[2]), quem sequitur T, scriptum est: *sub tyrannide;* quod sine ulla dubitatione probandum est. Priore autem loco Bursiani coniectura *in tyrannide* et usu dicendi scriptoris et compluribus locis similibus commendatur. De quibus postea dicam, cum eo venero, quod *in c. abl. temp.* idem valere posse ac *intra c. acc.* demonstrandum est.

Quae cum ita sint, eis nominibus exceptis, quae diem significant, sine attributo adhibitus apud Senecam abl. temp. invenitur unus: *bello;* quam formam Kuehnastius l. c. p. 181 locativum esse dicit. Qua voce Seneca eodem modo usus esse videtur ac Livius, cum praepositio *in* aut poni aut deesse possit, sive *bello* cum attributo coniunctum est, sive non est. Loci autem, quibus *bello* abl. temp. est, hi sunt:

---

[1] Quamquam enim, quomodo totus locus, in codicibus corruptus, emendandus sit, Senecae editores inter se dissentiant, tamen de his ipsis verbis recentiores consentiunt. Emendationum autem, quae ad hunc locum prolatae sunt, mihi quidem Muelleri praestantissima esse videtur. cf. Mueller, symbolae p. 19. Conferas etiam, quae de hoc loco dixit Kiesslingius, praef. p. XII ed. suae.

[2] Codicis V collatione, a J. Schmidtio Gissensi facta, per huius liberalitatem uti mihi licuit.

a) Praepositio deest:

32 28 *illos adducet, quos priore bello quasi inutiles reliquerat,* 131 19 *denique uno bello quiescas*, 211 20 *quod Atheniensibus bello accidit.* Quo loco haud scio an *bello* non sit abl. temporis, sed causae. 318 16 *si potest quod civili bello actum est obici.*

b) Praepositio posita est:

101 29 *in bello suas, in domo etiam filii manus perdidit;* 318 12 *an in bello civili acta obici non possint.* Cui loco simillimus est 318 16, ubi praepositio deest. 485 23 *nego te istuc in bello didicisse.*

318 1 in AB est: *licuit enim bello et civem et senatorem et consularem occidere;* in V *in bello.* Quae cum ita sint, utrum hoc loco *bello* an *in bello* scribendum sit, dubitari potest. Nam praepositio *in* propter priorem litteram *m* in codd. AB non minus facile omitti, quam in V addi potuit. Unde factum est, ut Bursianus scripserit *bello,* Kiesslingius *in bello.*

Itaque cum, si ad codicum auctoritatem refugimus, in certa aliqua sententia consistere non possimus, secundum Senecae dicendi usum controversia dirimenda est. Ac si locos supra enumeratos percensuerimus, ablat. temporis, nisi attributum cum eo coniunctum sit, usurpatum non esse videbimus. Nam 211 20, qui locus contra hanc legem facere videtur, ablativum temporis non esse iam supra diximus. Quo efficitur, ut etiam 318 1 *in bello* scribendum esse videatur.

Restat, ut pauca addam de locis supra allatis 318 12 et 318 16, quorum in priore, quamquam attributum cum *bello* coniunctum est, tamen *in* positum est, in posteriore *in* deest. De quo dicendi genere Draegerus l. l. p. 529 dicit: *bei dieser Construction* (sc. in bello) *wird nicht eine den ganzen Zeitraum erfüllende, sondern eine einmal oder wiederholt während desselben bemerkte Thatsache bezeichnet.* Quod cum ceteris tum his locis convenit. Nam 318 12 quaeritur, num singula crimina, diversis belli temporibus facta, obici possint. At 318 16 an ulla res earum, quae per totum bellum factae sint, obici possit.

Adverbia numeralia aut distributiva cum *in* coniuncta, quibus significetur, quotiens aliquid intra aliquod temporis spatium factum sit, apud Senecam non exstant.

Sed saepissime praepositio *in* occurrit, ut condicio, in qua aliquis est, significetur. Quod omnibus temporibus in usu erat.

Neque desunt exempla, quibus *in c. abl.* idem valet ac *intra:* 225 13 *in absentia viri nimium liberae mulieris*; 342 14 *quod gravissimum in tyrannide fuerit scelus*; 344 24 *haec talem* (sc. virum) *habet*, *quales illae in tyrannide habuerunt;* 348 7 *denique aliae in tyrannide passae sunt, haec in libertate.*

Huc referendum esse censeo etiam illum locum, de quo supra iam dixi: 217 7 *non potuit parere*, *quia ⟨in⟩ tyrannide non conceperat.*

Nostrum *im Anfang* Seneca exprimit nudo ablativo 409 20 *initio;* sed 48 14 et 56 11 dicit: *in principio.*

Finem quoque temporis, intra quod aliquid factum est, significari posse ablativo perspicitur ex his locis:

210 22 *non quaecumque quinquennio non peperit, sterilis est;* 211 26 *non omnes posse dimitti*, *si quinquennio non peperissent.*

Neque rari sunt ablativi temporis pro accusativis positi. Qui quidem abl. temp., cum temporibus archaicis omnino non inveniantur, raro optimis, posterioribus magis magisque vigebant. Apud Senecam hi sunt:

108 3 *toto die pereat, qui tota nocte peccavit*; 184 13 *me miserum, quod tantum triginta diebus irasci possum;* 184 15 *denis vicenisque annis inter bella iuventas consenuit*, *nos dies XXX ferre non possumus*; 186 22 *non possum tormenta triginta diebus pati;* 210 24 *si vir alicuius afuerit toto paene quinquennio*; 340 14 *qui plus quam quinquennio tacuerat;* 436 2 *rem dissertissimam et omnibus saeculis duraturam*; 443 26 *aiebat tota actione rea.*

De ablativo modi. (Draeger § 225).

Ablativus modi apud Senecam sicut apud alios

scriptores cum attributo coniunctus esse solet. Sed etiam sine attributo compluribus locis adhibitus est:

e. g. 64 22 *eius acta cursu reddebat*; 109 2 *lege ducere;* 464 15 *schemate dicere*; 475 19 *ossa liberorum coniectura dividunt;* 480 3 *silentio.*

Quo in numero non habendi sunt hi loci: 328 27 *si matris exemplo pius esse voluero*; 511 10 *Atheniensium more.* Nam his locis genetivus attributi loco est.

Neque in utenda praepositione *cum* cum ablativo coniuncta Seneca a solito dicendi usu abhorret. Qua etiam quantas copias dux secum habeat uno loco expressum est: 12 5 *cum tot milibus Xerses venit.*

Neque pauci sunt loci, quibus ablativo modi cum attributo coniuncto praepositio desit. Quod cum omnibus temporibus usitatum fuerit, mittamus.

Unum monebo, apud Senecam, qua veste aliquis indutus sit, nonnunquam praepositione *in* exprimi. Quod apud Draegerum addendum est, qui Curtium primum fuisse dicit, qui hac praepositione hoc modo usus esset; quem secutum esse Suetonium scriptoresque posterioris aetatis. Cuius usus exempla apud Senecam haec sunt: 407 2 *si praetor ius in veste servili vel muliebri dixerit, violabit maiestatem*; 473 26 *ut scias me in hoc habitu accusare non posse.*

Neque tamen desunt exempla, quibus solito more ablativus positus est: 84 23 *stetisti ea veste, quam leno dederat*; 405 26 *convivali veste*; 430 16 *vagabatur lugubri sordidaque praetexta.*

Denique eis substantivis, quae animum aut consilium aut condicionem aut partem corporis significant, solito more praepositio nusquam addita est.

De ablativo qualitatis. (Draeger § 226).

Ablativum qualitatis rarissime apud Senecam inveniri iam supra commemoravi, ubi de genetivo qualitatis dixi. Unum quod exstat exemplum est: 28 14 *non eodem vitae fine caput sit, quod gentibus futura praecipiat.* — Sic enim scribo cum Haasio, Muellero, aliis. — Hoc autem loco ablativus pro genetivo qualitatis positus esse mihi videtur,

quia, si genetivus scriptus esset, dubitari posset, quo spectaret *eiusdem*, cum etiam ad *vitae* referri posset.

De ablativo relationis. (Draeger § 227).

De hoc ablativo brevem me esse licet, quippe in quo utendo Seneca cum ceteris scriptoribus conveniat. Exempla igitur haec afferre satis habeo: 15 11 *adhuc non sum ex ulla parte Atheniensium similis, non muris nec*[1] *educatione*; 32 10 *fractus est et viribus et animo.*

Plura exempla afferre supersedebo. Ceterorum igitur locos indicasse sufficiat: 41 4, 77 14, 114 8, 152 27, 322 1, 333 2, 349 9, 443 15, 497 28.

De ablativo causae. (Draeger § 228.)

Ablativus causae apud Senecam frequentissimus est. Cui apud optimorum temporum scriptores plerumque participia *commotus* aut *adductus* adduntur, apud Senecam nunquam.

Significat igitur ablativus causae, quo animo aliquis aliquid fecerit:

e. g. 117 7 *illam non amore adulescentis, sed odio patris secutam,* 127 1 *apparet te morbo quodam furere,* 137 2 *malebat adulescentem iudicio quam morbo militare,* 188 3 *qui morbo fureret,* 195 25 *contumacia,* 200 6 *pudore,* 204 24 *indignatione,* 295 5 *admiratione,* 325 1 *taedio,* 356 26 *odio,* 394 18 *cupiditate,* 399 7 *amore,* 399 18 *cogitatione.* 416 16 apud Bursianum et Kiesslingium scriptum legimus: *sollicitudine periclitantem.* Sed mihi quidem accipienda videtur volgata lectio *solitudine,* quamvis a novissimis editoribus repudiata. Namque hac demum admissa bonus sensus efficitur, cum verbis: *modo duorum liberorum patrem,* non vox *sollicitudo,* sed *solitudo* iuste opponatur. cf. 124 18 et 19; 227 13.

Deinde ablativus causam significat, propter quam aliquid fit. Qui usus, cum apud scriptores optimae aetatis linguae Latinae rarus esset, postea magis magisque increbrescebat. Ex Seneca hic pono:

---

[1] Hoc loco non est, quod cum Kiesslingio scribamus no… igitur Bursianus, Sanderus (Sprachgebr. II p. 21), Müllerus l… traditam integram servaverunt.

e. g. 13 9 *minimis succidunt corpora . . eadem inventus causa cadit*, 13 22 *magna fastigia oblivione fragilitatis humanae collapsa sunt*, 21 22 *posse certe invictos reverti beneficio loci*, 31 7 *hoc ille numero ferox*, 45 21 *civis non solum magnitudine virtutum, sed multitudine quoque conspiciendus*, 47 21 *publica vox saevis aeternum obmutuit armis*, 76 2 *oculi subita caligine obtorpuerunt*, 84 12 *gloriatur homicidio. Gloriari* autem apud Senecam semper cum ablativo coniungitur, neque usquam cum praepositione *in*. 151 22 *nunquam inopia verbi substitit*, 160 6 *nullis gaudere veris sciunt*, 344 4 *patrem tyranni criminibus accuso*, 404 24 *quo crimine damnatus erat*, 422 23 *vexato laceratoque ore vix agnoscendus*. Sed hoc loco etiam abl. abs. intellegi potest. 471 4 *nimium funere nostro exsultat*. Etiam eum locum, qui est 43 1 *vix attollentes lacrimis oculos, homines intueri trucidati membra civis poterant*, huc retulerim. Quae verba cum Bursianus integra servasset, Kiesslingius et Muellerus, Gronovium secuti, ante *lacrimis prae* inseruerunt. Quod an necessarium non sit, equidem vehementer dubito. Nam ex locis supra commemoratis perspicuum esse puto animi affectum nudo ablativo exprimi posse, praepositione non addita. Cui causae accedit altera eaque gravissima. In toto enim Senecae libro nusquam praepositio *prae* invenitur. Quae cum ita sint, pro certo habuerim etiam hoc loco contra omnium codicum auctoritatem eam inserendam non esse.

De ablativo instrumenti. (Draeger § 229).

Ablativi instrumenti, quippe qui omnibus temporibus eodem modo usurpatus sit, multa exempla colligere supervacaneum est. Sed adnotandi mihi visi sunt ei loci, quibus pro praepositione *a* cum ablativo coniuncta ablativus nudus positus est, ut homines, quorum opera aliquid fit, tanquam res habeantur: 43 17 *ingenti circumfusus turba*, 229 2 *ut . . uxor alieno teste defendatur*, 348 30 *fortasse amicam habebat; hac delectatus est.*

Naturae autem diversae est: 37 1 *si ad aetatem annorumque nunquam observatum viris fortibus numerum respicimus.* — Quo loco *viris fortibus* dativus pro *a c. abl.* est, de quo usu dixit Sanderus l. c. II p. 8.

Sed ablativus instrum. videtur intellegendus esse: 153_{20} *vidi ambitiosa turba clientium limina deserta sub domino sectore venalia.*

At ceteris locis, quibus *desertus* occurrit, semper cum praepositione *a* coniunctum est: 241_{6} *desertos ab ingenio suo*, 260_{9} *quaedam et a Cicerone dicta, ⟨a⟩ ceteris deinde deserta dicebat.*

Hoc enim loco *a*, quamquam in libris ms. deest, suo iure ab editoribus insertum esse, nemo erit, quin concedat. Itaque verendum non est, ne crimen temeritatis subeamus, si etiam p. 153_{20} *ab* inserendum esse dicemus, praesertim cum ante *ambitiosa* (ita scriptum: *ābitiosa*) facillime excidere potuerit.

Tales autem loci, quibus pro ablativo instrumenti praepositio *ab* posita sit, quo de genere Draegerus dicit in § 230, apud Senecam non exstant.

Verba cum ablativo

coniuncta sunt apud Senecam haec:

1) *Includere*, sicut apud Livium primum (Draeger § 231). 402_{14} *quot carcere incluserit.*

2) *Occupari* (Draeger § 234), quo ex verbo apud Ciceronem praepositio *in*, apud Livium aut *in* aut ablativus nudus pendere solet, apud Senecam bis cum ablativo coniunctum occurrit: 211_{6} *occupatus tyrannicidio*, 212_{11} *cogitatione occupatus.*

3) *Mutare* uno loco ita adhibitum est, ut ablativo res significetur, quae pro alia accipitur. Qua ratione Cicero verbis *mutare* et *permutare* usus non est, sed solo verbo *commutare* (Draeger § 235, 1). 510_{22} *hos aiebat similes sibi videri furibus alienis poculis ansas mutantibus.*

4) *Stare* (Draeger § 236) 241_{14} *nulla pars erat, quae non sua virtute staret.*

5) *Constare* = *beruhen auf* (Draeger § 237) cum ablativo coniunctum est 7_{8} *illa demum est magna felicitas, quae arbitrio suo constitit.* Qui usus, cuius unum exemplum iam apud Caesarem invenitur, in argentea, quae vocatur, Latinitate magis increbruit.

6) *Contineri* = *enthalten sein in* (Draeger § 237) solito more cum ablativo coniunctum est: 508_{29}.

7) *Verba copiae et inopiae* (Draeger § 239):

a) *Abundare*, saepius c. abl. coniungitur e. g. 67_{4}, 312_{12}, 410_{26};

b) *Complere* et *implere* semper cum abl. coniunguntur, quamquam adiectivum *plenus* et cum genetivo et cum ablativo invenitur; quem usum verba quoque apud scriptores quosdam secuta sunt: 112_{1} *(quaestio), quae impleri argumentis possit*; 118_{18}; 157_{22} *colles equis virisque complentur*; 433_{22}.

Repletus invenitur 122_{10} *hoc . . repleto sceleribus nostris saeculo deerat,* 475_{10} *foveam igne repletam.*

c) *Carere* semper cum ablativo coniunctum est; 45_{27}; 67_{3}; 115_{17}; 163_{20}; 176_{4}; 433_{22}.

d) *Egere* quoque semper cum ablativo, nusquam cum genetivo coniungitur: 156_{22}, 176_{6}.

e) *Vaco* semper cum ablativo, nusquam cum praepositione *ab* coniungitur, ut solitum erat apud alios quoque scriptores 152_{27}, 494_{6}.

De adiectivis copiae et inopiae. (Draeger § 240).

Adiectiva cum abl. coniuncta apud Senecam inveniuntur *plenus* et *liber.*

a) *Plenus* igitur, quod cum genetivo coniungi supra demonstravimus, etiam cum ablativo ponitur: 26_{23} *plena deo* 47_{14} *pleni quid honoribus anni profuerant*, 241_{12} *oratio ingentibus plena sententiis,* 395_{23} *ductus est pater meus in carcerem etiamnunc captivis suis plenum*, 401_{24} *plenum carcerem damnatis habuisti.*

Ex quibus exemplis, si comparaveris numerum eorum, in quibus genetivus ex adiectivo *plenus* pendet, cognosces apud Senecam ablativum magis esse usitatum quam genetivum, cum apud antiquiores scriptores genetivus magis in usu fuerit.

b) *Liber*: 330_{5} *omni alia servitute liber est.*

Verba privandi (Draeger § 241) apud Senecam rara sunt. Invenitur enim apud eum solum *fraudare:* 48 6 *non fraudabo municipem nostrum bono versu.*

De verbis *facere* et *fieri.* (Draeger § 243). *Facere* et *fieri* cum ablativo coniuncta significant = *mit etwas machen*, *aus etwas werden.* Pro ablativo autem interdum etiam dativum ethicum, qui dicitur, inveniri omnibus notum est. Quo loco cum Draegerus dicat ablativum solitum esse, rarissimum dativum personae, apud Senecam alia lex observatur, qui quidem dativum longe praetulerit. Quod ut probemus, cum initium nobis capiendum sit ab eis locis, de quorum scriptura ac ratione grammatica nemo dubitet, primum locum eum proponam, ubi dativus nullam habeat dubitationem: 87 20 *quid faciam mulieri intra crimina sua delitiscenti?*

Alia est natura secundi, qui huc spectat, loci, 398 3 *filiam tuam dimittam*; *sed quid faciam adultero? Adultero* enim et dativus et ablativus intellegi potest.

Tertius autem locus vix in hoc numero habendus est: 186 6 enim in codicibus est: *aliud quidem suadebat dolor meus*, *sed quid faciam patris iudicio? misereor.* Quae verba sana non esse, nemo erit, quin fateatur. Qua de cau[illegible] viri docti varias coniecturas proposuerunt. Ac volgo quidem scripserunt: *sed quid faciam? patris tui misereor.* Sed hanc genuinam lectionem esse, equidem mihi persuadere non possum. Nam si haec verba in codicibus fuissent, quomodo *iudicio* irrepserit, nemo intellegit. Deinde, quae verba sequuntur: *misereor, inquit*; *vis verum dicam, quid dixerit? patris tui,* prorsus supervacanea sunt, si antea iam dictum est: *misereor patris tui.*

Aliter igitur locum sanare conatus est Kiesslingius, qui in apparatu critico hanc coniecturam proposuit: *sed quid faciam? patris tui beneficio misereor.* Quam coniecturam vix cuiquam probabit. Nam primu[illegible]undo loco contra lectionem volgatam di[illegible]ue coniecturam optime convenit. [illegible] *patris tui beneficio* dixerit pro *pa*[illegible]

autem emendationem nuper proposuit Thomas in *Hermae vol.* XXI 1, p. 48: *sed quid faciam? ⟨patris,⟩ patris tui dico misereor*; post quae verba nomen rhetoris alicuius excidisse putat. Haec igitur coniectura mihi quoque videtur probanda esse.

Ex verbo *fieri* utrum apud Senecam dativus an ablativus pendeat, pro certo dici non potest. Nam 192 1 *quod fieri solet victimis* et dativus et ablativus potest intellegi. Alter autem locus, qui huc spectare videtur, corruptus est: 169 12 *si reduxerit, inquit, illos, et quid fiet?* Sic enim in codicibus traditum est. Sed Senecae editores iamdudum intellexerunt pronomen desiderari, quo adoptandus se opponat divitis filiis, qui voce *illos* significati sunt. Deinde *et* ferri non posse, nemo erit, quin videat. Quibus rationibus ductus Bursianus scripsit: *me quid fiet?* Kiesslingius: *quid me fiet?* Quarum coniecturarum praestantior mihi videtur Bursiani.

De ablativo mensurae. (Draeger § 245).

Ablativi mensurae ut apud ceteros scriptores ita apud Senecam maxime coniunguntur cum comparativis, e. g. *multo, paullo, eo, quanto, tanto, aliquanto.* Quorum exempla singula enumerare opus non esse puto.

His vero omissis ablativi mensurae a comparativis pendentes rari sunt apud Senecam, ut non invenerim nisi unum exemplum: 427 9 *timebam ne uno rhetore plus haberemus.*

Deinde ablativi mensurae cum *verbis* coniuncti inveniuntur. Ac primum quidem:

a) apud ea, quibus notio comparativi inest: 54 10 *tanto antecedere eloquentia, quanto fortuna, 243* 3 *infinito se antecedebat.*

b) Tum ablativo mensurae cum verbis coniuncto id significatur, quo aliquid metitur. Quo in numero est:

aestimare: 68 12 *ne eo quidem aestimas, quanta ista crudelitas sit,* 328 9 *non est, quod mulieris affectum lege aestimetis.*

Quodsi Kuehnerus l. c. p. 162 dicit, *aestimare* cum abl. coniungi inde a Livio pro *aestimare ex*, idem apud Senecam saepius occurrit.

Eodem modo usurpatur etiam:

censeri: 393_{16} *qui mendacitate censentur*, 507_{22} *misericordia semper censi sumus.*

Accusativus autem pro ablativo mensurae positus est: 3_{4} *o quantum magnitudo tua rerum quoque naturam supergressa est.* Cuius usus Draegerus I p. 565 exempla complura ex Cicerone, Caesare, Livio enumerat. Sed cum addat his exceptis nullum nisi unum Taciteum exstare, dubito an hoc Annaeanum illi notum non fuerit.

De ablativo comparationis. (Draeger § 246). Saepissime ut apud omnes scriptores Latinos ita apud Senecam, si comparativos particula *quam* et nominativus substantivi sequuntur, omissa particula ablativus substantivi ponitur. Rariores autem sunt ei loci, quibus pro *quam* cum accusativo ablativus comparationis usurpetur. At enimero 42_{14} *quae paullo plus mille passibus a mari abest* ab usu dicendi scriptorum optimae aetatis non recedere inter omnes constat; cf. Draeger p. 566, 5; Ellendt-Seyffert § 180, adn. 2. Neque magis insoliti sunt ablativi comparationis pro *quam* et accusativo positi, qui in constructione accusativi cum inf. inveniantur; e. g. 104_{15}; 481_{6}. Denique soli ablativo locus est in pronomine relativo velut 56_{9} *dixit duas res, quibus stultiores ne ipse quidem unquam dixerat.* Similiter 214_{21} et 486_{2}. Contra a solito dicendi usu recedunt hi loci: 115_{21} *an nil pluris faciat marito (= quam maritum);* 155_{17} *unam horam qua tibi irato satisfaciam ter pluris omni patrimonio puto.*

Locutione *plus iusto*, quae inde a Livio apud prosae orationis scriptores invenitur, Seneca quoque usus est 64_{24}. Quod addendum est apud Draegerum I, 565.

De ablativo pretii. (Draeger § 247).

In hoc ablativo nihil insoliti apud Senecam inveniri perspicias ex his locis: 5_{6}; 25_{8}; 35_{12}; 45_{11}; 50_{24}; 54_{5}; 87_{18}; 92_{16}; 121_{7}; 122_{2}; 179_{20}; 191_{6}; 515_{2}.

Verba: *utor*, *fruor*, *fungor*, *defungor*, *potior* (Draeger § 248) semper cum ablativo coniuncta sunt, nisi quod *potior* cum genetivo ponitur in locutione: *rerum potiri*; quod omnibus temporibus usitatum erat.

Opus est et *usus est.* (Draeger § 249).

1) *Opus est* aut cum nominativo subiecti aut cum ablativo coniungi solet. Quas inter locutiones quod id discrimen intercedere animadvertit Madvigius, ut in enuntiatis negativis aut interrogativis semper fere ablativus usurpetur, Seneca etiam in affirmativis ablativum videtur praetulisse. 295 16 *magno temperamento opus est et occasione quadam*, 309 22 *triumviris opus est, comitio, carnifice.* Utrum nominativus an ablativus intellegendus sit dubitari potest his locis: 258 13 *ut in multis illi venia opus est*, 441 18 *an illi conscia opus fuerit.* Sed his quoque locis ablativum equidem agnoverim.

2) *Usus est* apud Senecam non legitur.

De locativo. (Draeger § 250).

Praeter: *Romae, Massiliae*, similia, quibus addendum est *domi*, de locativo nihil habeo, quod dicam. Unum alicuius momenti est, quod pronomina possessiva cum locativo *domi* apud Senecam non coniunguntur, sed semper dicitur: *in mea, tua . . domo.*

De participiis.

Participiorum usum apud Senecam crebrum non esse non mirabuntur, quicunque sciunt cum universos argentei, quod dicitur, saeculi scriptores longas sententiarum continuationes fugisse, tum rhetores argutis certisque et circumscriptis verborum contentionibus studuisse. Tamen etiam in hoc genere nonnulla inveniuntur, in quibus Senecam rationes a Cicerone observatas egressum esse videmus.

A) *De participio coniuncto.*

De participio praesentis. (Draeger § 572). Participium praesentis, quippe quo significetur aliquid eodem tempore factum, atque id, de quo enuntiato primario dicitur, pro praesenti, perfecto, futuro tempore esse potest. Inveniuntur autem etiam loci, quibus ratio temporum neglecta sit, ut participio praesentis aliquid significetur, quod tempore antecedat ei, de quo enuntiato primario dicatur. Cuius modi exempla obiter intuenti nonnulla etiam in Seneca inveniri videntur. Quos locos si diligentius examinaveris,

eorum naturam aliam esse intelleges. Ac primum quidem enumero 44 6 *caput decisum nihil in ultimo fine vitae facientis, quod alterutram in partem posset notari, Antonio portat.* Hoc enim loco nescio an quis putarit *facientis* dictum esse pro *qui fecerat.* Qua opinione vereor ne is prorsus decipiatur. Nam participium *facientis* interpretandum est: *qui per ultimum vitae spatium nihil faciebat.*

Similis est hic locus: 46 4 *Asinius, qui Verrem Ciceronis reum fortissime morientem tradidit.* Nam *morientem* dictum esse videri potest pro *mortuum esse.* Sed revera ita non est. Neque enim interpretandum est *Asinium memoriae tradidisse Verrem fortiter mortuum esse,* sed *Asinium in libris suis Verrem pinxisse in exitu fortiter se gerentem.* Itaque tempus praesens significatur, cum descriptione Asinii mors Verris quovis tempore legenti quasi praesens ante oculos sit.

Tertium locum hunc affero: 52 22 *P. Scipionem a maioribus desciscentem generosa mors in numerum Scipionum reposuit.* Nam cum participio *desciscentem* non tempus significatum, sed res minoris momenti addita sit, participium praesentis suo iure positum est. Itaque si hoc participium enuntiato relativo interpretabimur, dicendum nobis erit: *qui a maioribus suis desciscebat,* i. e. *qui maioribus indignum se praebebat,* non: *qui . . desciverat,* sive *postquam . . descivit.*

Sed de hac re hactenus. Restat, ut dicamus de *verbis percipiendi* cum participio coniunctis. Quorum apud Senecam inveniuntur haec:

1) *videre;* e. g. 75 13 *cum vidisset patrem egentem;*
2) *audire;* e. g. 198 17 *cum audisset Latronem declamantem.*

De participio futuri. (Draeger § 573).

Participio futuri, quod apud Ciceronem semper fere adiectivi loco, rarissime pro enuntiato usurpatum videmus, sicut Livius, ita Seneca quoque non solum pro adiectivo aut substantivo, sed saepissime etiam pro enuntiato aut relativo aut temporali aut finali utitur.

1) *Part. fut. act.* usurpatum est pro *adiectivo* aut *substantivo:* e. g. 14 25 *qui pueritiam indurat ad*

futurae militiae patientiam, 25 23 *nesciri futura,* 27 24 *futurorum scientiam,*

2) pro *enuntiato secundario:* 6 13 *ab Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est,* 12 23 *haec non utique perituris refero,* 23 10 *exspectemus, si nihil aliud, hoc effecturi.*

Sed cum omnia huius generis exempla transscribere longum sit, reliquorum locos indicasse sufficiat: 11 20; 31 5; 33 27; 44 5; 48 13; 50 9; 51 14; 116 1; 118 7; 128 11; 157 20; 166 13; 166 16; 179 11; 194 19; 243 31; 245 10; 246 10; 297 15; 299 28; 300 19; 302 22; 303 18; 313 24; 324 25; 328 11; 335 16; 354 13; 359 14; 362 13; 400 10; 400 15; 401 4; 404 11; 409 8; 466 12; 467 18; 478 14; 487 14; 492 11; 498 28; 509 12; 509 14.

Participia perf. depon. (Draeger § 574) temporum ratione non habita usurpata invenimus apud Senecam his locis: 27 6 *apud Caesarem cum mentio esset de ingenio Hateri consuetudine prolapsus dixit: et ille erat plena deo.* — *Prolapsus* enim hic est pro *prolabens* vel *cum prolaberetur.* Qui locus mihi differre videtur ab eis, de quibus Draegerus l. c. II p. 750 dixit, ut etiam *prolapsus* in eorum numero participiorum habendum esse censeam, quae quasi participia aoristi usurpentur.

Sequitur 73 9 *ad caelum manus sustulit, fassus huius se spectaculi debitorem.* Hoc loco *fassus* aperte est pro *fatens.* Itaque hoc quoque participium apud Draegerum l. c. addendum est.

Sed huc non sunt referendi tales loci, qualis est: 53 21 *oro et obtestor, ne moriaris confessus quam nolueris mori. Confiteri* enim tempore antecedit ei, quod est *mori.*

Reliqua participia perf. dep. neglecta temporum ratione adhibita apud Senecam haec sunt: 399 28 *usus*; item 499 15; quod verbum iam Cicero ita adhibuit; 246 4 *miratus,* quod apud Draegerum deest; 463 4 *veritus,* quo participio iam Caesar, Sallustius, Livius ita utebantur.

Participium perf. passivi, (Draeger § 575) attributive cum substantivo coniunctum pro substantivo verbali aut pro enuntiato multis locis positum occurrit. Quo in usu Seneca non differt a ceteris scriptoribus Latinis.

Substantivum verbale in -tum (Draeger § 576) sine substantivo uno loco positum est pro enuntiato: 44 24 *hoc semel aut iterum a Thucydide factum, item in paucissimis personis usurpatum a Sallustio, T. Livius benignus*[1] *omnibus magnis viris praestitit.*

Participium perf. pass. (Draeger § 577), quamquam saepissime pro enuntiato condicionali est, raro tamen apud alios scriptores positum est pro *si* et *futuro II passivi.* Sed apud Senecam complura sunt huius usus exempla: 177 12 *ex eo loco se praecipitasse, ex quo praecipitata perire non posset (= si praecipitata esset).* 327 16 *facies quod voles absolutus (= si absolutus eris).* 398 11 *quae (sc. memoria mea) quomodo senilis per se marcet, ita admonita et aliquando lacessita, facile se colliget (= si admonita et lacessita erit).* 225 6 *illud iudices mihi tormentum est, quod notata iudicio vestro, ut multiplicatam dotem perdat, plus tamen ex quaestu habitura est, quam quantum damnatae perdendum est (= si notata erit, si damnata erit).*

B) *De participio absoluto.*

Etiam in hoc capite, quamquam ablativi absoluti usus apud Senecam plerumque simplicissimus sit, tamen nonnulla mihi sunt commemoranda, quae a solito dicendi usu recedant.

De participio praes. abs. (Draeger § 579). Ratio temporum habita non esse videtur: 31 24 *me miserum, pugnante Xerse tropaea posui, fugiente tollam? Fugiente* enim pro *postquam fugit* dictum esse fortasse erit cui videatur. Sed cum deliberatio Atheniensium, quae in hac suasoria ficta est, sine dubio paullo post fugam Xerxis facta esse fingatur, *fugiente* non interpretandum est: *postquam fugit,* sed: *cum fugit* sive *in fuga est.* Quod si recte dixi, *fugere* eodem tempore fit ac *tollere* atque participium praesentis suo iure positum est. Cui loco similes sunt omnes, quibus part. praes. absol. temporum ratione non habita videtur esse usurpatum.

---

[1] Sic enim scribendum esse censeo cum Sandero l. c. II p. 21 et H. J. Muellero, l. c. p. 25.

Draegerus etiam plura de participio praesentis absoluto exposuit. Quae cum eorum nihil apud Senecam inveniatur, omittam.

Itaque transeamus ad *participium futuri activi* (Draeger § 580). Quod cum apud Ciceronem absolute nusquam usurpetur, Draegero aliisque Livius primus fuisse videbatur eiusmodi dicendi usus auctor. Sed ante paucos annos *Schmalzius*[1] Asinio Pollioni primum locum vindicavit, quippe in cuius historiis, ex quibus fragmentum traditum est apud Senecam in suas. VI 24, participium futuri activi absolute usurpatum inveniatur: 46 8 *huius ergo viri tot tantisque operibus mansuris in omne aevum praedicare de ingenio atque industria supervacuum est.*

Participium perfecti passivi, (Draeger § 581) quamquam apud Senecam permultis locis absolute usurpatum est, tamen in hoc genere oratio eius a solito dicendi usu fere non recessit. Itaque satis habebo pauca exponere de loco huius participii, qui aut ante enuntiatum primarium, aut in eo, sed plerumque ante verbum huius enuntiati esse solet. Ut vero prematur hoc participium absolutum et cum vi ac pondere quodam dictum esse videatur, in fine enuntiati poni potest. Quod perspicitur ex his locis: 38 1 *inutilis vita futura et morte gravior detracta libertate;* 41 4 *nam quin Cicero nec tam timidus fuerit, ut rogaret Antonium nec tam stultus, ut exorari posse eum speraret, nemo dubitat excepto Asinio Pollione.*

Inveniuntur autem etiam loci, quibus participium absolutum, quamquam in fine enuntiati positum est, tamen nullo modo urgeatur. Quo ex numero est: 109 6 *si is te ante rapuisset et nuptias optasses, interposito deinde tempore, antequam nuberes, hanc vitiasset, negares illum debere mori, rapta iubente?*

Participia perf. pass. absoluta, aoristi modo usurpata, apud Senecam rara sunt. Nam quae prima

[1] Schmalz, Ueber den Sprachgebrauch des Asinius Pollio, Festschrift zur XXXVI. Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner zu Karlsruhe 1882, p. 89.

quidem specie huc referenda esse videntur, si altius inspexeris, alio modo esse interpretanda videbis. Ex quibus est: 73 7 *infelicissimam ambo et tristissimam egimus vitam, excepto uno, quod alter alterum egentem vidimus.* Nam *excepto uno* idem valet ac *si unum exceperis.*

Cui loco similes sunt: 178 17, 210 13, 260 12, 317 25.

Sed etiam 192 1 *ioco quoque remoto aiebat rem verissimam* partic. perfecti solita sua notione positum esse censeo. Dixerit fortasse quispiam *ioco remoto* dictum esse pro *iocum removens* sive *dum iocum removet.* Sed si diligentius consideraveris, potius esse interpretandum videbis: *cum iocum removisset (= ioco finem imposuisset) dixit rem verissimam.*

Verum non desunt loci, quibus re vera perfectum defendi non possit. 24 3 *alias negatis imbribus solum exurunt.* Nam *negatis imbribus* hic interpretandum esse *quia imbres negantur* ex totius loci sententia perspicuum est.

Similis est 73 8 *proici me adiectis contumeliae verbis iussit.* Nam pro *adiectis verbis* exspectaveris: *contumeliae verba adiciens.*

Nescio an in hoc numero haberi possit etiam: 33 16 *omni dimissa divisione tantum exultavit.* Nam cum id, quod est *divisionem dimittere,* tempore non antecedat ei, quod est *exultare*, sed utrumque eodem tempore fiat, tempus praesens exspectamus, ut *omni dimissa divisione* videatur dictum esse pro: *omnem dimittens divisionem.* Sed *omni dimissa divisione* etiam de cogitatione intellegi potest, quae antecedit ei, quod est *exultare.*

Haec sunt huius usus exempla, quae quidem exstant apud Senecam. Quae quod pauca sunt optime convenit cum eis, quae de hoc genere dixit Draegerus, qui l. l. docet hunc loquendi usum a Cicerone ortum, apud posteriores scriptores Latinos rarum videri.

Neque minus rara sunt apud Senecam *participia perfecti deponentis* absolute usurpata (Draeger § 583). Nam omnino eius generis nihil invenitur praeter unum

locum, quo participio deponentis notio activa inest: 475_{11} *in quam adulescentibus lapsis et consumptis.*

Quae Draegerus § 584 exposuit, eorum apud Senecam nihil invenitur.

Contra saepissime *adiectiva praedicativa aut substantiva* participii absoluti loco funguntur. (Draeger § 585). Quem usum, quippe in quo Seneca non recesserit a solita dicendi consuetudine, commemorasse sufficiat. Exemplis opus non est. Iam transeamus ad

ablativos absolutos contra regulam usurpatos. (Draeger § 586).

Ne apud optimorum quidem temporum scriptores rari sunt loci, quibus lex illa observata non sit, secundum quam, si subiectum ablativi absoluti etiam in enuntiato primario invenitur, non ablativo absoluto, sed participio coniuncto locus est. Non igitur mirabimur, quod apud Senecam quoque unus quidem huius generis ablativus absolutus insolitus, ne dicam falsus, invenitur: 489_{16} *tuto me, ait, putavi loqui fortius.*

Etiam *participiis subordinatis* (Draeger § 588) Seneca modice usus est, ut, quae apud eum inveniuntur, perspicua sint et optimorum scriptorum generi dicendi conveniant.

I. *Participia coniuncta.* e. g. 210_{5} *qui reus veneficii fuit et a Pollione Asinio defensus, damnatus Massiliae docuit.*

II. *Participia absoluta.* 418_{5} *toga posita sumpto pallio quasi persona mutata rediebant.*

De eis, quae Draegerus tractavit § 589—591 apud Senecam nihil observavi. Contra non rara sunt

participia cum coniunctionibus coniuncta.

Eodem ordine usus, quo Draegerus § 592, primo loco commemoro:

Ut: 42_{8} *inde transversis itineribus in Formianum ut ab Caieta navem conscensurus proficiscitur.* Sed hic locus Livianus est.

Velut: 41_{28} *velut salutarem daturus pueris potionem.* Similiter 107_{13}, 130_{20}, 186_{15}, 459_{9}, 505_{16}.

Tamquam: 395_{13} *effugiant ergo adulteri tamquam alligatas Cimonis manus.*

Quippe: 43_{14} *quippe non satiatus modo caedendis civibus.*

Quasi: 1_{14} *stat immotum mare et quasi deficientis in suo fine naturae pigra moles.*

Quamvis: 109_{22} *quomodo sacrilegus, quamvis a te servatus, periret, sic alterius puellae raptor, licet a te servatus peribit.*

Huc vero non spectare videtur: 459_{14} *sinite ergo me semel exhaurire memoriam meam et dimittite vel adactum iureiurando, quo adfirmem, dixisse me quae scivi.* Nam *vel* non ad participium, sed ad *iureiurando* aut potius ad totam locutionem videtur referendum.

De gerundio et gerundivo. De nominativo gerundii et gerundivi, quippe quo Seneca solito more usus sit, multa verba facere opus non est. Itaque hoc omisso dicamus de *accusativo gerundii*, cui sicut apud alios scriptores locus esse solet apud verba *tradendi* et *accipiendi* (Draeger § 596). Ex quibus, quae solita sunt, commemorasse sufficiat.

1) *relinquere:* 10_{15}.

2) *accipere:* 103_{22}.

3) *tradere:* 122_{25}, 304_{27}.

4) *dare:* 300_{6}, 305_{20}.

5) *mandare:* 314_{23}.

6) *curare:* 471_{27}.

Etiam *habere* in argentea quidem, quae dicitur, Latinitate cum gerundio ita invenitur coniunctum, ut significet nostrum: *etwas zu thun haben, (habeo dicendum = dicendum mihi est).* Cuius usus auctores cum Draegerus enumerasset Senecam philosophum, Columellam, Plinios, Tacitum, in hoc quoque genere Senecae rhetori primas partes esse vindicandas nuper intellexit *Thielmannus*[1], qui hunc loquendi usum in Cestii Pii sententiis, a Seneca nobis traditis, ter in-

---

[1] Cf. E. Woelfflin, Archiv für lateinische Lexicographie und Grammatik, II 1 p. 67 u. 68.

veniri demonstravit. 225 4 *confitendum habeo, hac me causa afuisse, ut.* 430 15 *de omnibus meis habeo dicendum: habui.* 477 29 *pugnandum habebam non imperatori tantum sed patri.*

Genetivus gerundii et gerundivi (Draeger § 597) saepissime pendet ex nominibus. Quem usum, quo Seneca non differat ab optimae aetatis scriptoribus, exemplis probare huius loci non est. Itaque transeamus ad recensendos eos locos, quibus ad genetivum gerundii accusativus additus sit. Cuius usus exempla, cum apud alios scriptores rarissima sint, apud Senecam complura inveniuntur. Neque tamen a solita dicendi consuetudine recedit: 257 9 *acrior est cupiditas ignota cognoscendi quam nota repetendi.* cf. Draeger p. 797.

At 126 10 *negavit ullam aliam illi causam esse persequendi tyrannicidam*; 164 3 *dat tibi notam reconciliandi suos*; 473 19 *hoc est autem medium illud genus nec dimittendi divitem nec accusandi.*

Hunc usum ne posterioribus quidem temporibus frequentem fuisse apparet ex parvo exemplorum numero, quae quidem Draegerus l. l. collegit. Quibus addenda sunt illa Annaeana.

Haec sunt quae de gen. gerund. observavi. Iam transeamus ad:

Dativum gerundii (Draeger § 598),

qui non ante argenteae Latinitatis scriptores increbruit. Quem apud Senecam uno loco invenimus: 468 26 *occasionem loquendo capto.*

Seneca igitur legem a Livio servatam, secundum quam vox *occasio* aut cum genetivo gerundii aut cum dativo substantivi coniungitur, observavisse non videtur, si modo ille locus integer traditus est. Sed cum aliis locis (e. g. 118 13, 135 2) *occasio* cum genetivo gerundii coniunctum sit, non est verendum, ne temeritatis crimen subeamus, si hoc quoque loco eum restituemus. Ac si quaerimus, quomodo vitium ortum esse possit, verisimile nobis videtur, quod proximum verbum *capto* exitum habet in *o*, librarium etiam pro *loquendi loquendo* scripsisse.

Ablativus gerundii (Draeger § 599) plerumque instrumentalis est. Quo in usu nihil apud Senecam invenitur commemoratu dignum. Maioris autem momenti sunt ablativi gerundii cum obiecto coniuncti. Qui cum apud optimos Latinitatis auctores perrari sint, inde a Livii temporibus crebrius inveniuntur. Quod cum ita sit, apud Senecam quoque non paucos inveniri non est mirandum: 11 5 *non adiciendo iudicium meum nec separando a corruptis sana*; 116 26 *ducendo illam uxorem*; 157 7 *meum rogando patrem*; 169 7 *temptavi cogere subtrahendo meum*; 257 15 *singulos producendo;* 331 2 *comparando utrumque officium.*

Huc referendi mihi esse videntur etiam hi loci: 96 10 *non imitabor istius impudentiam, ut repetendo iudicium, quod factum est, improbasse videar.* Nam *iudicium* hic non minus spectat ad *improbasse*, quam ad *repetendo.*

Similes sunt hi loci: 219 7 *si adulterium velles vindicare committendo*; 436 27 *sententias suas repetendo corrumpit.* Hoc quoque loco ad ablativum gerundii accusativus mente supplendus est. Neque alia est natura huius loci: 128 23 *quanta enim vi opus est, ut aliquis accusando se miserabilem faciat.* Nam cum magna vi opus non sit, ut aliquis miserabilem se faciat accusandis aliis, pronomen *se* pendere necesse est ex *accusando.* Neque tamen minus spectat ad *miserabilem.*

Dativus obiectum est: 199 14 *ut . . illum argueret sibi ipsi comparando.*

Ablativus gerundivi more solito invenitur: 43 15 *non satiatus modo caedendis civibus, sed differtus quoque.*

Cum praepositionibus (Draeger § 600) *coniuncta* gerundium et gerundivum plurimis locis inveniuntur ac saepissime quidem cum praepositione *ad*; quod omnibus temporibus usitatum erat. Itaque huius generis exempla enumerare supervacaneum est.

Idem fere dicendum est de praepositione *in* cum ablativo gerundivi coniuncta. At ei loci enumerandi sunt, quibus *in* cum ablativo gerundii coniunctum est, quia hic usus omnino rarissime occurrit: 150 7 *Fabianus philosophus, qui adulescens admodum tantae opinionis in declamando,*

quantae postea in disputando fuit, 467 15 *habet in dicendo paternam diligentiam.*

Etiam praepositio *inter* apud Senecam cum gerundio coniuncta est, cuius usus exempla cum apud Ciceronem omnino non exstent, etiam post huius aetatem rara sunt. Apud Senecam autem legimus: 327 12 *et quasdam dixit inter disputandum sententias.*

Etiam *de* et *ab* saepius cum gerundio aut gerundivo coniuncta sunt; quod apud omnes omnium temporum scriptores in usu erat.

De praepositione „ad" cum gerund. coniuncta (Draeger § 601). Interdum apud alios scriptores pro genetivo gerundii a substantivis pendente *ad* cum gerundio aut gerundivo ponitur. Quem dicendi usum Seneca non videtur admisisse, nisi huc referemus: 64 15 *ars summa et ad comprehendenda, quae tenere debebat et ad custodienda.* Nam secundum Senecae usum loquendi etiam dici potuit: *ars comprehendendi ea quae . . .*

Adiectivorum cum *ad* et gerundio coniunctorum invenimus haec exempla:

51 16 *parati ad pereundum animi*, 58 10 *nec ad complectenda tantum quae vellem velox mihi est ingenium,* 72 3 *ad praestandam calamitosis misericordiam contumax est,* 164 10 *firmus ad repellenda vitia*, 224 18 *ad suspicanda adulteria nimium credulus,* 358 6 *idoneum ad tantum sustinendum onus,* 464 19 *natus ad contumelias omnium ingeniis inurendas,* 502 21 *iam ad figurandum Promethea satis tristis est.*

Quae si percensuerimus, diversa esse videbimus ab eis adiectivis, quae Draegerus l. l. enumeravit, quorum apud Senecam nulla cum *ad* et gerundio usurpata videmus.

De gerundivo verborum intransitivorum et impersonalium (Draeger § 602). Unum huius generis gerundivum apud Senecam legitur: *paenitendus*: 31 29 *ex paenitenda acie.* Quam formam apud Livium primum invenimus.

De accusativo supini (Draeger § 604).

Ut alii scriptores ita Seneca quoque hanc formam cum eis verbis videtur coniunxisse, quae motum aliquem significant. 326 23 *iussit ire sessum in equestria.*

De nominativo cum infinitivo (Draeger § 459). Hic verba: *videor, iubeor, vetor, iudicor* a Seneca solito more usurpari breviter commemorasse sufficiat. Plura autem dicenda sunt de verbo: *credor*, quod si Draegerum audiemus, quamquam apud Lucretium et Ovidium inveniatur, tamen a pedestris orationis scriptoribus putabimus usurpatum non esse ante Quintilianum. At etiam in hac re eum errasse hi loci Senecae docent:

31 26 *non tantum credetur redisse set vicisse Xerses,* 90 22 *maior res videbatur, quam ut posset credi sine deorum immortalium adiutorio gesta,* 324 24 *tamquam cum dicimus adulteram fuisse, ut credatur propter hoc etiam venefica,* 439 2 *quamdiu luctati sumus, ut crederetur noverca privigno dedisse.*

Etiam magis Draegerus erravit, cum verbum *narror* scriberet primum ita usurpatum esse ab Horatio poeta, eumque secutos esse Ovidium et Martialem, sed ex pedestris orationis scriptoribus duo tantum huius dicendi usus exempla sibi nota esse, alterum Livianum, alterum Plinianum. Namque eis addendus est tertius locus, qui est apud Senecam: 122 11 *hoc prorsus fabulosum repleto sceleribus nostris saeculo deerat, ut narraretur aliquis solutus a piratis, alligatus a patre.*

De praepositionum usu. (Draeger § 252 e. q. s.) Etiam hic acquiescam in adnotandis eis rebus, quibus Seneca a solito dicendi usu recesserit.

Initium igitur capiam a praepositione *ab*. Quae in nonnullis locutionibus non ita solitis invenitur. e. g.: *ad ultimum*, quam locutionem Draegerus apud Livium primum inveniri dicit, quem secutos esse Curtium, Valerium Maximum maximeque Lactantium. Sed ne a Senecae quidem dicendi usu illam alienam esse ex compluribus locis perspicitur, e. g. 135 5, 214 9.

Deinde commemoratu digna est locutio *ad litteram*, qua Ciceronis illud *ad verbum* imitatus Seneca primus usus

est: p. 56 5. Falso igitur Kuehnerus l. c. II 1 § 97, 4 c huius locutionis auctorem esse dicit Quintilianum.

Denique etiam *ad summam*, quod et apud Ciceronem et apud Horatium est, apud Senecam invenitur 196 12. Quam locutionem valde adamasse Petronium videas ex: Segebade, *observationes gram. et crit. in Petronium, Halis 1880 p. 11 (Diss.)*.

Praepositione *apud* semper significatur aliquid propinquum esse apud hominem, numquam apud rem.

Penes rarissime invenitur (465 18), sed solito more adhibitum.

Praepositio *propter*, quam Draegerus omnibus temporibus, etsi apud alios scriptores rarius apud alios crebrius, notione locali usurpatam esse dicit, apud Senecam nullo loco ita adhibita est. Saepissime autem ei inest notio causalis. Sed utrum etiam notio finalis in ea inesse possit, omnino viri docti inter se dissentiunt. Ex quibus Draegerus quidem, etsi raro, nonnullis tamen locis, *propter* vi finali positum esse putat. Cui repugnat Kuehnerus, qui II 1 § 98, 8 ann. 3 locos a Draegero collectos alio modo interpretandos esse dicit. Censet enim *propterea ut* et *propter hoc ut* interpretandum non esse *eo consilio ut*, sed *propter eam causam ut*. Itaque his quoque locis notionem causalem in praepositione *propter* inesse. Sed etiamsi ita interpretamur, tamen aliquo modo vis finalis huic praepositioni inesse negari nequit, quae ex toto verborum contextu mihi nata esse videtur. Quin etiam ex talibus locis omnino apparere puto, quomodo notio finalis ex causali orta sit.

Sed etsiamsi Kuehnero concedamus istis locis, quibus praepositionem *propter* particula *ut* sequitur, vim finalem non praepositionis propriam, sed e verborum contextu natam esse, tamen persuadere mihi non possum *propter* nusquam sensu finali adhibitum esse. Nam apud Senecam duos locos invenisse mihi videor, quibus, etsi *ut* non sequitur, tamen usus finalis statuendus est. Quorum prior hic est: 94 9 *dubitari potest, quin usque eo deicienda sit, donec efficiatur, propter quod deiecta est?* Hoc loco *propter quod* certo sensu finali dictum est. Neque enim interpretari possumus, *quam*

ob causam deiecta est, cum causa deiciendi incestus fuerit, sed interpretemur oportet *quem ad finem deiecta est.* Deiecta enim est, ut periret. Eadem igitur haec sententia est atque ea, quam dixit Diocles Carystius 100 12 *καὶ ἅπαξ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον καὶ μέχρι ἂν οὗ πέσῃς* (sed melius Haasius: *πάθῃς*), *ἐφ' ὃ βέβλησαι.*

Alter locus est: 204 3 *nupsit isti propter liberos, sed infelices nuptias cito tyrannus oppressit.* Hoc quoque loco *propter* finalem sensum habere apparet. Nam *propter liberos*, quid significat nisi *ut liberos ex ista tolleret* aut ut verbis apud Romanos sollemnibus utamur: *liberorum quaerundorum causa?*

Praepositionis *ob* notio semper causalis est.

Adversus nusquam notionem localem habet, sed plerumque notione infesta adhibitum est. Nonnullis autem locis idem valet atque *erga:* 164 21 et 23 *bono adversus patrem animo,* 164 26 *bono adversus se animo.*

Nihil nisi contrarium significatur: 41 1 *quomodo quisque se ex historicis adversus memoriam Ciceronis gesserit.*

Contra semper infestam notionem habet. — *Ante* et *post* solito more usurpata sunt.

Secundum sensu locali dictum est: 308 27 *secundum matris sepulcrum;* deinde sensu temporali, quod non apud omnes scriptores in usu fuit: 244 15 *secundum principium statim fuga fit;* tum ordinem significat: 95 20 *quidquid secundum deos sanctissimum est, contactu suo polluit;* denique idem valet ac = *zu gunsten.* 396 20 *centumviri dixerunt, dare ipsos secundum adversarium Albucii . . .*

Praeter localem notionem habet: 106 8 *transierunt praeter oculos meos, praeter filii manus,* 302 17 *ibamus praeter sepulcrum matris.*

Sed longe plurimis locis idem valet ac nostrum *ausser.*

Valde adamasse videtur Seneca praepositionem *per*, quae sensu locali, temporali, instrumentali, modali usurpatur. Atque sensu instrumentali non solum si de rebus dicitur,

sed etiam si de hominibus, quorum opera aliquid fit, saepissime ponitur.

Per se uno loco invenimus, quo idem valet ac *solus:* 212 15 *quia ista omnia semper per se tractanda essent.*

Altero loco, quo in codicibus *per se* traditur, Kiesslingius *posse* scripsit, recte ut mihi videtur: 365 20 *duo haec adiciebat, quae per se quaeri putabat.* Fac enim *per se* recte dictum esse; nihilo minus ad infinitivum *quaeri* verbum *posse* desiderabis, aut pro *quaeri* dicendum erit: *quaerenda esse.* At insuper hic *per se* recte se habere utique non potest. Enimvero significaret duas quaestiones ab alio rhetore una tractatas a Vario Gemino separatim tractatas esse. Sed dicit Seneca Geminum duas novas quaestiones addidisse.

Vis autem causalis huic praepositioni nullo loco inest.

Praepositio *inter* saepissime notione solita i. e. locali adhibita est. Sed etiam pro genetivo partitivo *inter* poni posse supra dixi, ubi de genetivo partitivo disputavi.

Tum sicut Livius ita Seneca quoque pro *numerare in c. abl.* dixit *numerare inter:* 174 19 *inter has viva numeraris.*

Cui loco similis est: 154 25 *inter illa ponebas et divitis domum.*

Deinde *inter* invenitur post verba movendi, id quod inde a Vergilio increbruit: 208 10 *debuit . . . ipsum inter res suas trahere.*

Neque rara est huius praepositionis notio temporalis.

Neque etiam desunt loci, quibus *inter* coniunctum sit cum neutro pluralis adiectivorum aut participiorum pro substantivis usurpatorum. Quem usum rarissimum esse apud scriptores Latinos discas ex Draegero l. l. p. 611:

3 2 *magni pectoris est inter secunda moderatio,* 461 15 *quantam vim esse oportet, quae inter obstantia erumpat.*

Cum gerundio quoque *inter* apud Senecam coniungi supra dixi.

Denique etiam pro enuntiato secundario adhibitum est; cuius usus primus auctor fuit Livius. e. g. 129 15 *Albucius*

hanc sententiam dixit inter admirantes et deridentes (= cum alii admirarentur, alii deriderent). 403 18 *hic iste inter varios convivarum vultus submoveri iubet (= cum varii essent convivarum vultus).*

Intra vim habet aut localem aut temporalem.

Extra notione locali adhibitum est: e. g. 92 11 *extra portam hanc virginem.*

Sed saepe etiam translata notione dictum est: 24 18 *extra iussum dei tutum fuit adultero mare,* 150 19 *extra legem,* 351 3 *ut extra reprehensionem esset,* 463 22 *ut non extra sanitatem, sed extra naturam essent.*

Raro autem, ut apud alios scriptores ita apud Senecam verba sequitur, quae motum aliquem significant: 305 10 *extra omnem invidiam secessisse.*

Praepositio *infra* invenitur, ita ut ordinem minorem significet: 243 14 *non tantum infra se cum declamaret, sed infra multos erat.*

Supra aut sensu locali aut translato adhibitum est.

Citra nonnullis locis, id quod memoratu dignum est, translata notione Seneca usurpavit: 59 18 *semper citra veritatem est similitudo,* 88 5 *etiamsi citra stuprum, cum viris tamen volutatam,* 242 12 *quamdiu citra iocos se continebat, censoria oratio erat.*

Percensentibus eos locos, quos Draegerus enumeravit, ubi dicit de hac praepositionis *citra* notione, Seneca primus ea ita usus esse nobis videtur.

Ultra aut localem aut translatum sensum habet.

Circa ut a Livio ita a Seneca cum verbis movendi quoque coniungitur, ubi optimi quidem Latinitatis auctores semper praepositione *circum* utebantur: 30 2 *qui illos circa puerperas mitteret,* 31 9 *errat circa damna sua,* 69 25, 119 1, 194 10.

Deinde eadem praepositione cum nomine proprio coniuncta Senecam primum usum esse ad tempora quaedam significanda, iam intellexit Draegerus, afferens locum 59 23 *quidquid Romana facundia habet quod insolenti Graeciae aut opponat aut praeferat circa Ciceronem effloruit.*

Denique translato quoque sensu Seneca primus ex pedestris orationis scriptoribus, Horatium secutus, hac praepositione usus esse videtur: e. g. 20 3 *insanierunt in hac suasoria multi circa Othryadem,* 31 2 *languet circa memoriam iacturae animus,* 338 14 *circa vulnus novercae quidam bellas res dixerunt,* 499 17 *circa hunc sensum est et illa.*

In usu praepositionis *a* Seneca non fere recessit a solito dicendi genere. Itaque hac in re sufficiat pauca adnotasse, quae apud Draegerum corrigenda sint. Qui quidem dixit p. 620 *immunis a* non inveniri nisi apud Velleium et Plinium maiorem. At Seneca quoque hac locutione usus est: 212 8 *aliquod tempus immune a legibus miseriae faciunt,* 486 10 *immune a victoris ira.*

Ibidem Draegerus dicit, *tutus* constanter cum praepositione *a* coniungi; raro cum ablativo, apud solum Lucanum etiam cum genetivo. Addendum est apud Senecam, qui et ipse dicit *tutus a* (e. g. 224 4), etiam inveniri *tutus adversus* 156 16, 226 4, et *tutus contra* 94 26.

Denique hic locus commemoratu dignus mihi esse videtur: 114 14 *quid tibi videntur illi ab aratro, qui paupertate sua beatam fecere rempublicam;* ubi *illi ab aratro* eodem modo dicitur atque imperatorum temporibus varia officialium eorum munera significabantur. Cuius dicendi generis originem apud Ciceronem inveniri docet Draegerus p. 623.

De praepositione *de*, quae creberrima apud Senecam est, nihil inveni memoratu dignum. Neque de praepositione *ex*, quae non minus crebro invenitur, multa verba facere opus est. Commemoro locutionem *vesci ex*: 87 8 *ex eadem mensa vesci.* Nam alii scriptores dicebant *vesci in mensa.*

Deinde neutra adiectivorum numeri singularis cum *ex* coniuncta apud Senecam haec inveniuntur: 12 12 *hoc mare quod tantum ex vasto patet;* 29 6 *ex humili,* 31 6 *spem ex praesenti metitur.*

296 13 scriptum est: *ex diverso*, quod teste Draegero etiam apud Curtium invenitur.

Neque minus locutionis *ex toto* Draegerus p. 57 exemplum ex Curtio sumptum adnotavit. Sed pag. 59 idem dicit

August. civ. dei 6, 10 ex toto ganz, was schon bei Sen. ben. 4, 4, 3 (numeri desunt in editione altera) *öfter vorkommt.*

Itaque Draegerus Senecam philosophum primum esse putat, qui hac locutione usus sit. Sed iam apud Senecam rhetorem *ex toto* eadem significatione saepius invenitur: e. g. 134 19, 310 26, 434 4, 443 8, 473 11.

Sequitur *ex sublimi*, quod cum Draegerus apud Plinium primum inveniri putet, iam apud Senecam est: 311 1 *quidquid est, quod ex sublimi res spectat humanas, invoco.*

Tum *ex aequo* 413 19 *si ex aequo dividimus;* quod etiam apud Livium invenitur.

De *sine* et *cum* praepositionibus nihil habeo, quod afferam.

Prae non invenitur nisi 43 1 ubi contra codicum auctoritatem a nonnullis insertum est. De quo loco supra dixi, ubi de ablativo causae disputavi.

Etiam *pro* solito more adhibitum est. Itaque recensebo eos tantum locos, quibus *pro cum ablativo* accusativi praedicativi loco est: 396 17 *hoc non tamquam quaestionem, sed, ut illi mos erat, pro tractatione aut loco,* 409 12 *illud non esse Latronis pro testimonio dico.*

Coram ita ut ab omnibus omnium temporum scriptoribus etiam a Seneca adhibitum est.

Tenus notione locali cum abl. coniungitur.

Plura mihi dicenda sunt de praepositione *in*, quae omnium creberrima est. Ac primum quidem adnotandus mihi visus est creberrimus eius usus finalis, qui, quamquam non ante Livii tempora invenitur, apud Senecam adeo increbruit, ut in unaquaque fere pagina complura exempla inveniantur. Quorum pauca enumerare liceat: 14 3 *in hoc morati sumus, ut agmen fugientium cogeremus,* 23 24 *non in aliam condicionem deus fudit aequora, quam ne omnis ex voto fieret dies,* 95 15 *in cuius poenam saxum exstruendum est,* 96 24 *in novam poenam revixisti*, 109 25 *adservaretur in tormentum.*

Deinde *in* cum accusativo apud Senecam haud raro idem significat atque *quod attinet ad.* Cuius usus Draegerus pauca exempla collegit, unde perspicitur, si quidem priorum temporum nulla omisit, in hoc quoque genere Senecae primas partes tribuendas esse. Cf. 68 20 *cum in cetera odium sit, tantum in meam notam convenit*, 91 6 *accusator in hoc maxime premebat ream,* 163 5 *an in omnia patri parendum sit,* 168 28 *tolle in meum patrimonium*, 198 15 *fuit Messala exactissimi ingenii in omnes studiorum partes.*

Porro ex numero eorum locorum, quibus *in* notione rariore adhibitum est, etiam hic est: 59 19 *ut possitis aestimare in quantum cotidie ingenia decrescant.* Hoc enim loco cum *in quantum* significatione modali pro *quantopere* dictum sit, optime cognoscitur, quomodo notio modalis ex locali nata sit.

Tum hic locus commemoratu dignus est:

39 21 *sed maxime illum in Asiam et Macedoniam hortatus est in Cassi et in Bruti castra.* Nam mira quadam dicendi brevitate *illum hortatus est in — Bruti castra* dictum est pro *illum hortatus est, ut iret in — Bruti castra.*

Denique non pauci sunt loci, quibus *in* cum ablativo singularis generis neutrius adiectivorum coniunctum sit. Ex quibus hos appono: 127 12 *in ultimo*, 158 15 *aedes, quas in tantum exstruxere*, 196 3 *in ultimis esse filium,* 206 16 *in deterius luxu fluente.* 215 1 *L. Vincius ingenium in numerato habet,* 226 5 *prodeat in tantum ornata,* 260 6 *in hoc,* 294 7 *sufficiebat illi in quantum voluerat explicandi vis,* 312 25 *qui illos versus . . expressissent in melius*, 317 24 *in reliquis adeo bonam causam habet*, 323 2 *in quam angusto domus meae fortuna posita est,* 333 24 *in reliquum*, 335 28 *in contrarium perversitas*, 410 9 *in privato,* 415 7 *alioqui in infinitum calumnia excedet.*

Sub cum ablativo coniunctum, aut significatione locali aut translata adhibitum, saepe occurrit; sed etiam cum accusativo coniunctum invenitur, idque vi temporali, 42 4 *sub adventum triumvirorum.*

Super cum accusativo coniungi solet apud Senecam sensu locali: e. g. 444 30 *instabam super caput,* 485 5 *aliqua*

se super ardentis rogum misit. Etiam 471 6 huius praepositionis vis localis est: 471 6 *inter necessarias super occisum patrem lacrimas.* Interpretandum enim est: *Thraenen (Klagen) an (*proprie *ueber) der Leiche des Vaters.*

Desunt apud Senecam hae praepositiones: *iuxta, iuxtim, prope, erga, pone, cis, circum, absque, simul, abusque, subter, insuper, intus, clam.*

De enuntiatis coordinatis pro subordinatis. Apud argenteae, quae dicitur, Latinitatis scriptores, qui breves comprehensiones et ambitus verborum adamarint, saepissime sententias coordinatas invenimus, quae more Ciceroniano inter se subordinandae fuerint. Cuius usus exempla, quae apud Senecam sunt, colligere e re esse mihi visum est, cum in hoc quoque genere Seneca novas quasi vias interdum ingressus sit. Ac primo quidem loco dicam:

I. de locutione *crede mihi.* Draegerus dicit § 369 et apud Ciceronem et apud posteriores scriptores, e quibus appellat Senecam philosophum, *mihi crede* magis in usu fuisse quam *crede mihi.* Cui legi non convenit, quod Seneca rhetor multis locis dixit *crede mihi*, sed duobus tantum *mihi crede:*

31 27 *crede mihi, difficilest adtritas opes recolligere;* 34 13 *crede mihi, quam diligenter te custodieris, faciet tamen Antonius, quod Cicero tacere non possit;* 53 10 *crede mihi, vilissima pars tui est, quae tibi vel eripi vel donari potest;* 72 24 *crede mihi, sacra populi lingua est;* 115 2 *crede mihi, volet in suis regnare divitiis;* 133 3 *crede mihi, pater, non sum mei iuris, cum ille proelii clamor exortus est;* 172 10 *credite mihi, impium nihil de liberis duo patres cogitant;* 332 18 *credite mihi, non turpe est misereri.*

Similis est etiam hic locus: 173 4 *crede fidei meae, hoc fieri expedit.*

Contra *mihi crede* his duobus locis dictum est: 196 17 *mihi crede, aliter tu audis de coherede;* 208 11 *mihi crede, maius fuit tyrannicidium pati quam facere.*

Credo ironice dictum apud Senecam non invenitur.

Ciceronis loquendi genere: 35 5 *i nunc et Antonium roga*; 43 7 *accede, veterane, et si hoc saltim potes recte facere, incide cervicem*; 47 8 *ite nunc et in istis vulsis atque expolitis et nusquam nisi in libidine viris quaerite oratores*; 125 2 *praecide et ale;* 314 8 *i nunc et nega te parricidam esse.*

At deest particula *et* his locis: 320 5 *i, inquit, occide Ciceronem;* 399 1 *deme ἑκάστιον: constabit sensus.*

Praeterea moneo non raro inveniri in apodosi enuntiati condicionalis indicativum temporis praeteriti pro coniunctivo positum, quo res quasi iam facta significetur: e. g. *belle illis cesserat, si nasus Atticus ibi substitisset*; similiter 108 1, 183 22, 194 24, 302 5.

Sed tales loci cum ne apud Ciceronem quidem desint, certe raro inveniuntur enuntiata condicionalia, quorum in protasi tempus praesens, in apodosi perfectum positum sit, quale hoc est Annaeanum: 21 13 *Lacones nisi succurritis, mundus captus est.*

Exemplis igitur a Draegero, II p. 673 b, allatis maximam partis poetarum Plauti, Terenti, Lucreti, et duobus ex Ciceronis epistulis et ex Taciti annalibus petitis iam illud addendum est.

Haec sunt, quae perquirere mihi proposueram. Addo pauca de nonnullis locis dubiis, qui quomodo sanandi sint, adhuc disputatur. Ac primum quidem dicam de titulo suasoriae primae praefigendo. Quem volgo fuisse existimaverant: *deliberat Alexander an Oceanum naviget.* (*Cf.* O. Rebling, *observationes criticae in L. Annaeum Senecam patrem*: *Göttingae 1868*: *Diss. p. 6*). Nuper autem Sanderus, *quaest. . . . syntact*; *p. 3* verum investigasse sibi videtur in contr. VII, 7, 19 (p. 360 15): *deliberat Alexander an Oceanum naviget, cum exaudita vox esset: quousque invicte?* Cui assentiuntur Kiesslingius, praef. p. XI et Müllerus, symb. p. 5. Nihilo tamen minus, quin faciam cum Sandero, a me impetrare non possum. Quid? vocem illam divinam, si illud propositum fuisset, ne unum quidem rhetorem commemorasse

verisimile tibi videtur? An tam speciosam occasionem de numine divino ipso Alexandrum retinente verba faciendi ullum praetermissurum fuisse putabimus? Quae cum ita sint, equidem titulum illum volgatum retinuerim, alterum, quem Sanderus investigavit, similis suasoriae fuisse existimans, ut etiam tituli suasoriarum VI et VII similes sunt.

Transeamus ad 3 7 *aliquis etiam magnitudini modus est.* Ita enim, excepto A, qui praebet *in magnitudini*, verba in libris manuscriptis tradita sunt. Neque quisquam eis offensus est ante Sanderum, qui Sprachgebr. II p. 9, ea in suspicionem vocavit, propterea quod locutione: *mihi est aliquid* Seneca alibi nusquam usus sit. Quare ille praetulit lectionem *in magnitudine*, nimirum ablativum pro dativo corrigens. Quam rationem equidem minime probo. Neque enim verum est, quod ille affirmavit Senecam locutione *mihi est aliquid* abstinuisse; immo frequentissime ea usus est: e. g. 24 1 *nec ea sors mari tantum est*; 24 4 *hoc interdum anno lex est*; 24 7 *incertus sideribus cursus est*; 24 16 *sive ne lunae quidem ista potentia est*; 34 1 *illi esse immensam multitudinem hominum*; 40 7 *ut illi mos erat*; 53 5 *quamdiu suus litteris honor, suum eloquentiae pretium erit.* Multa alia huius generis exempla afferre possum, sed haec sufficiant ad Sanderi opinionem refutandam.

Itaque cum lectionem *magnitudini* a Sandero immerito impugnatam esse pateat, illud *in* quod ante *magnitudini* praebet codex A manasse existimo ex littera *m* praecedente. Etiam paullo ante Seneca *modum magnitudini facere* non *in magnitudine* dicit. Sic enim traditum est in libro A: at hic quoque B[1] V praebent *magnitudine*; B[2] *in magnitudine* (cf. Müller, symb. p. 4). Utroque igitur loco quod ab optimi codicis A lectione recedamus omnino non est.

Iam venimus ad tertium locum: 364 21 *Hic defensio adulescentis, quia negavit se vitiasse.*

Hoc enim loco Sanderus, l. l. II p. 24, voce *quia* sensum iustum effici negavit; immo scribendum esse: *qui.* Male ille quidem, ut ipse sentio. Verba enim tradita interpretanda sunt: *Deinde sequitur Latronis defensio iuvenis, propterea quod negavit.* Ita si interpretamur, nemo offenditur hac sententia.

Ceterum si recte sensisset Sanderus, cum *qui* coniunctivum coniunctum esse exspectaremus, aut melius: *qui quidem negaverit.*

Denique ne 490 9 quidem Senecae editores recte emendasse puto. Ibi enim scribunt: *Vectigalis isti crudelitas fuit eo magis, quod omnes praeter istum misericordes sumus.*

Pro *isti,* quod scribunt Bursianus et Kiesslingius, est in C *istus*; in T *istius.* Quae cum ita sint, lectionem traditam respicientibus sine ulla dubitatione *istius* scribendum esse nobis videbitur. Atque cum etiam sensui *istius* conveniat optime, non est cur mutemus.

VITA.

Natus sum Augustus Ahlheim in pago, cui nomen est Langwaden, a. d. III. Non. Nov. anni 1863 patre Conrado, matre Margaretha e gente Hölzel; quos adhuc superstites esse vehementer gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis imbutus litterarum elementis a. 1873 in VI. classem gymnasii Benshemiensis receptus sum. Deinde maturitatis testimonio instructus anno 1881 tempore autumnali Heidelbergam in academiam Ruperto-Carolinam abii, ut studiis philologis operam darem. Ibi me docuerunt per unum annum viri doctissimi: Brandt, Fischer, Osthoff, Schöll, Wachsmuth. Inde cum Gissam in academiam Ludovicianam me contulissem, scholis intereram virorum illustrissimorum: Bratuscheck, Braune, Clemm, Oncken, Philippi, Schiller, Schmidt, Siebeck. Seminarii philologi sodalis ordinarius eram per quater sex menses. Denique facultate docendi accepta aestate huius anni in numerum sodalium ordinariorum seminarii paedagogi receptus sum, quod cum gymnasio Gissensi coniunctum Schilleri auspiciis floret.

Omnibus viris bene de me meritis gratias ago et semper habebo maximas; singulares autem Schmidtio, qui optimis semper me adiuvit consiliis atque fautor exstitit studiorum meorum benignissimus.